52 Secùs etiam est, quando confessor non verè commutavit vota tempore Jubilæi, sed commutationem distulit maturiùs considerandam: tunc enim quamcumque ex causa postea non obtentus sit, nequibunt vota commutari. Quia res erat integra, & privilegium verè non est comparatum. Ita *Suarez eodem c. 16. n. 15. in fine.*

53 Potest autem confessarius non commutare vota, si velit, donec completa sint omnia opera in Jubilæo præscripta: aut antea sub conditione, ut non obtineat vim commutatio, donec illæ impleantur, aut cum hac intentione. Quod non habet locum in absolutione a peccatis, quæ absoluta esse debet: nec absolutione a censuris, quæ præcedere debet ad capacitatem obtinendæ indulgentiæ, nec ad reincidentiam concedi potest a confessario, nisi in casibus expressis. At melius est, commutationem votorum absolutè concedi ad vitandos scrupulos. Quæ omnia docet *Suarez eodem c. 16. n. 10.*

54 Sed dubitabis, an hic, qui Jubilæum obtinere intendens obtinuit virtute illius absolutionem a reservatis, & votorum commutationem, reus sit culpæ, si postea mutata voluntate illum non comparet? Affirmat *Suarez* gravem esse culpam, *eodem c. 16. n. 11. & tomo 4. in 3. p. disp. 31. sect. 4. n. 5.* Ducitur, quod non sit rationi consentaneum id propositum exigi ad fruendum iis privilegiis, & postea postea absque culpa non impleri. Et ideò etsi non sit pactum explicitum, at est implicitum, & quasi intrinsecè, & ex natura rei inclusum in tali actione, seu ministerio, ut rectè, & fideliter fiat, & absque dubio hæc videtur esse tacita Pontificis intentio talem facultatem concedentis. At oppositum judico probabilius, idque tenui cum *Enriquez*, & aliis, *lib. 1. de matrim. disp. 43. n. 9. & lib. 8. disp. 15. n. 24.* Quia hic nil promisit, nec obligationem aliquam illi imposuit confessarius, nec Jubilæus talem obligationem petit; nec de tali Pontificis intentione constat: & si ea esset, facilè posset illam explicare. Nec aliqua ratione probatur, ex natura rei includi id pactum in ea actione: sed satis est propositum bona fide. Sicut etiam ad absolutionem a peccatis obtinendam, satis est propositum bona fide abstinendi in posterum ab illis, absque nova obligatione alia, præter antiquam vitandi illa, quæ consurgat ex absolutione impenla virtute illius propositi. Quare non est cur præceptum imponatur absque urgenti fundamento: eo vel maximè, quod ubi dubium est de præcepti impositione, judicandum sit in favorem libertatis in eo dubio possidentis. Ut diximus *lib. 1. c. 10.*

55 Decima difficultas. An virtute Bullæ Cruciatæ sint necessario commutanda vota in temporale aliquod belli contra infideles subsidium? Quidam dicunt nomine subsidii belli petiti in Bulla, intelligi, aut temporale, quale est eleemosyna pecuniaria, aut spirituale, quale sunt orationes, aut alia opera pia pro felici belli exitu. Quod Bulla absolutè petat conferri aliquid in belli subsidium, nec minoris efficaciæ sit spirituale temporali, sed majoris. Sic docuit *Deza è Societate Jesu in publicis prælectionibus Compluti*, ut le ab ipso audivisse testatur *Vivaldus candelabro sacramentorum 3. p. c. 14. n. 39.* & ipse dicit hoc esse probabile. Idem tenet *Llamas methodo curarionis 3. p. c. 4. §. 42. ad finem*, limitans, quando vota sunt personalia, & vovens ita pauper est, ut non sit subsidio temporali erogando. Et *Antonius Gomez in Bulla Cruciata, clauf. 10. n. 54.* ait posse virtute Bullæ commutari vota in subsidium belli, vel aliud opus pium, si vovens pauper sit. Et *Leonardus lib. 2. de just. c. 40. dub. 11. n. 95. in fine*, dicit esse probabile, quando adest legitima sic commutandi causa. Et *Suarez tomo 2. de relig. tract. de voto, lib. 6. c. 19. n. 18.* ait in pauperibus habere locum hanc interpretationem. Et probat, quia debet intelligi illa conditio morali modo, & quatenus fuerit possibilis ac suaviter fieri possit. Et ita pauperes satisfacient orationibus.

56 Verùm quamvis in pauperibus hoc sit probabile, nec in divitibus id admittere auderem, at multo probabilius est, in omnibus exigi subsidium temporale. Quia praxis ipsa ita id satis testatur atque quando Bulla est contenta orationibus, id explicat, ut ad alias indulgentias comparandas facit. Et ita latè probans tradit *Manuel addit. ad Cruciatam §. 9. n. 109.* Quod, & fatentur omnes DD. *num. sequenti* referendi. Et *Sayro, & Azor, alleg. n. 58.*

57 Imò quidam existimant totam commutationem debere esse in belli subsidium. Quod nil amplius Bulla concedat, quàm in subsidium belli commutare. Et ita affirmant *Sotus lib. 7. de just. q. 4. art. 3. ad finem corporis, versic. Rursus circa eadem, Aragon. 2. 2. q. 88. art. 12. col. 5. versic.* Et *ad argumentum, Rudy Lop. 2. p. instruct. confe. ubi de clavibus, in c. 9. ad finem.* Et sunt clarè ejusdem sententiæ alii dicentes hanc commutationem faciendam in temporale belli subsidium. Hi sunt *Navar. summ. Lat. c. 12. n. 80. versic. Admonemus insuper, Hisp. c. 28. additione ad numerum eumdem, Corduba summa q. 149. & 150. Angles floribus 2. p. q. unic. de voto, art. 8. diffic. 7. Garnica in expositione Cruciatæ, fol. 44. Vega 2. tomo summæ c. 129. casu 106. Manuel in Bulla Cruciatæ §. 9. n. 109. & additione ad eumdem §. n. 109. Lud. Lop. 1. p. instruct. confe. c. 50. col. 3. versic. Commutatio voti.* Et tenet etiam expresè *Petrus de Ledesma 2. tomo summæ, tract. 10. c. 8. in fine tertia partis, ubi agit de commutatione votorum, versiculo Digo lo quarto.*

58 At probabilius est, posse commutari partim in temporale belli subsidium, & partim in alia quævis pietatis opera. Quod non obscurè significant verba ipsius Bullæ, ibi: *In aliquod subsidium hujus expeditionis commutari.* Quasi dicat aliquam commutationis partem debere esse in eleemosynam pro belli expeditione. Præterea quia hanc esse intentionem regis Hispaniæ Bullam impetrantis, vel ex eo constat, quia si tota commutatio deberet esse pecuniaria, cederet in magnum ejus detrimentum. Quia pauci uti vellent eo privilegio, aut quia præ paupertate non sint solvendæ quantitati æquali materiæ voti: aut si divites sint, nolint tantam pecuniam expendere. Et confirmatur, quia hac ratione concedit Pontifex una cum Bulla Cruciata, Bullam aliam compositionis pro debitis incertis, contentus multò minori summa, quam est debita, ut vel sic illa remissione attracti debitores, contribuant partem in ejusdem belli subsidium. Et ita tenent *Enriquez lib. 7. de indulg. c. 30. n. 6. Vivaldus eodem c. 14. n. 39. Suarez eodem c. 19. n. 18.* Et videntur tenere *Azor. tomo 1. instit. moral. lib. 11. c. 18. q. 9. in fine, & Sayro in clavi regia lib. 6. c. 12. n. 17. in fine, & n. 10.* ubi dicunt pauperem etiam voti commutationem petentem, debere eleemosynam exiguam in id subsidium contribuere quæ suæ paupertati æqualis sit. Quod quidem non esset verum, si oporteret totam commutationem fieri in temporale belli subsidium, sed non posset pauperis votum commutari virtute Bullæ, sicut nequit aliis Bullæ privilegiis frui, si pecuniis necessariis ad eam capiendam careat. Nec tamen est satis, minimam pecuniæ quantitatem contribuere, facta reliqua commutatione in alia opera pia. Quia videtur id intentioni Bullæ adversari, quæ potiùs spectavit commutationem in id belli subsidium. Quare prudentis confessoris arbitrio hoc librandum est attentis voti qualitate, & voventis facultatibus. Sicut apertè indicant *Azor. & Sayro*, in verbis ipsorum, quæ proximè retuli. Quia mens Pontificis est, ut omnes accipientes Bullam eo privilegio frui possint contributa aliqua eleemosyna suis facultatibus proportionata, ut vel sic copiosior ex multis eleemosynis, quibuldam minutis, aliis verò gratiosioribus, in belli expeditionem quantitas cogatur.

59 Undecima difficultas. An facultas commutandi vota religiosis concessa, sit restringenda, ut tantùm eò privilegio uti possint erga sæculares subditos Episcopo illius diœcesis, in qua sunt religiosi? *Sylvester verbo Domicilium, in fine*, ait Mendicantes, qui possunt confessiones undecumque ad se venientium excipere, non posse forensium vota commutare: quod id nequeat Episcopus eos exponens. Quod idem attentis antiquis Mendicantium privilegiis, fatetur *Manuel in addit. ad Bullam Cruciatam, §. 9. n. 120.* at vilo privilegio concesso Societati Jesu per Paulum III. cujus memini *n. 3.* concedente expresè facultatem commutandi undecumque venientium, ait id posse Mendicantes. Fundamentum hujus sententiæ tractans de simili quæstione in privilegio dispensandi concesso religiosis, retuli *c. 43. n. 14.*

60 At sicut *eodem c. 43. n. 15.* dixi non sic restringendum privilegium dispensandi, sed esse erga omnes totius orbis: ita de privilegio commutandi est dicendum, ob rationes *ibi* traditas.

61 Ultima difficultas. An privilegia commutandi vota, & in eis dispensandi, & absolvendi a reservatis, concessa religiosis erga sæculares, suspendantur per Bullam Cruciatam, & ita nequeant religiosi ullis uti erga sæculares carentes Bulla? Affirmant quidam suspendi, & ita esse necessariam Bullam in sæcularibus, ut religiosi valeant uti illis erga eos. Ducuntur ex clausula ipsius Bullæ, Nam datur in ea facultas commissario, suspendendi omnes gratias, & facultates concessas quibulvis monasteriis, piis locis, universitatibus, &c. Et subditur: *Exceptis tamen concessis ordinum Mendicantium superioribus, quæ ad eorum fratres tantum.* Et Commissarius suspendit facultates omnes, quas suspendere potest. Et ideò ita sustinent *Navarr. lib. 5. consiliorum, in posteriori editione, in tit. de privilegiis, consil. 16. n. 1. Lud. Lop. 2. p. instruct. confe. ubi de clavibus c. 2. col. 10. paulo ante versic. Quæritur deinde, Manuel in Bulla Cruciata §. 12. n. 4.* Atque in anno Jubilæi centesimi suspendi tenet *Navarr. §. In Levitico, notabili 28. in fine.*

62 At dicendum est, nequaquam suspendi, & ita non esse ad usum illorum necessariam Bullam in sæcularibus. Quia cum hæc privilegia sint adeò favorabilia, & non uni, vel alteri monasterio concessa, sed toti religioni, & adeò cedant in commune fidelium bonum, non videntur suspendi per verba adeò generalia, sed opus est specifica mentione. Et ideò clausula illa Bullæ intelligitur de gratiis, quæ conceduntur particularibus monasteriis, quales sunt, qui visitaverit tale monasterium, consequatur indulgentiam, &c. his enim privilegiis non fruentur sæculares carentes Bulla. Atque hujus sententiæ videtur apertè *Leonardus lib. 2. de just. c. 42. dub. 12. nu. 60. versic. Responderi potest*, ubi ait privilegiis commutandi vota concessis religiosis, non derogari per Bullas, & alias reservationes, nisi expressam contineant clausulam derogatoriam. Et tenet in propriis terminis, *Manuel* mutans sententiam, *additionibus, ad Cruciatam, §. 12. n. 4. & q. q. regularibus, tomo 1. q. 61. art. 14.* dicens multos viros doctissimos ita sentire. Et *Enriquez lib. 6. de pœnit. c. 16. n. 7. & lib. 7. de indulg. c. 28. n. 7.* ubi *in commento, lit. Z.* refert multos viros doctissimos ex Dominicana religione, & Franciscana, qui ita senserunt. Imo nec in anno Jubilæi centesimi suspenduntur. Ut benè ait *Enriquez eodem lib. 7. c. 28. nu. 7. & c. 21. nu. 3. in commento, lit. R.* & dicit probabile *idem Navarr. eodem notabili 28. in fine.*

CA-

CAPUT LV.

Qualiter commutatio voti, & juramenti, extinguat prioris materiæ obligationem: ita ut in nullo eventu reviviscat, nec sit licitus ad illam reditus?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputanda sint? n. 1.
An voto commutato transferatur eadem obligatio in materiam subrogatam? n. 2.
An idem sit in juramento commutato? Refertur opinio, n. 3.
Explicatur sententia Auctoris, n. 4.
An jurans certo termino solvere, teneatur ex vi juramenti solvere prorogato eo termino per creditorem? Refertur opinio, n. 5.
Explicatur sententia Auctoris, n. 6. & 7.
An dilata solutione debitori liberetur fideiussor? eodem, n. 7.
An prorogata ex partium consensu decisione compromissi jurati, quando conventum est in principio, ut posset prorogari, obliget juramentum in eo terminato prorogato? n. 8.
Quid, si non est data prorogandi potestas ab initio? Refertur, opinio, n. 9.
Explicatur sententia Auctoris, n. 10.
Quid, si prorogatio fiat cum conditione, ut prioris compromissi clausula, & juramentum, censeantur repetita, aut in prorogatione promittant partes sub juramento priius facto? n. 11.
An commutato voto jurato, obligent votum, & juramentum circa materiam subrogatam? n. 12.
Explicatur quotupliciter fieri possit commutatio, & an tunc vinculum voti, & juramenti cadant in materiam subrogatam, n. 13.
Post, n. 13. invenies alia summaria.

1 TRiplex quæstio disputanda est. Prima quando commutatur votum, aut juramentum, qualiter desinat obligatio circa priorem materiam. Secundò, an non impleta materia subrogata, reviviscat prioris materiæ obligatio. Tertia, an licitus sit voventi post voti commutationem reditus ad priorem materiam.

2 Quæstio prima. An quando commutatur votum in aliam materiam, & similiter juramentum, extinguatur omnino prioris vinculi obligatio? Certum est, commutato voto in aliam materiam, extingui prorsus vinculum voti circa priorem materiam, & transferri idemmet in posteriorem materiam subrogatam: ac proinde hanc obligare sub eodem voto. Quippe prælatus commutans non condonat nomine Dei priorem voti obligationem, sed solam materiam mutat, ea lege, ut loco illius acceptet vovens aliam sub ejusdemmet voti obligatione. Sicut in humanis, quando ex consensu creditoris mutatur debitum in aliam materiam, eo ipso quod debitor commutationem acceptat, liber prorsus manet a prioris obligatione, & censetur materiam subrogatam promittere, & ad illam obligari. Atque ita docent, *D. Thom. 4. dist. 38. q. 1. art. 4. q. 3. Sylv. verb. Votum 4. q. 1. Cajet. 2. 2. q. 88. art. 10. notab. 2. & art. 12. col. 2. versic. In commutatione autem votorum, & in summa, verb. Votum c. nlt. versic. Rationabilis autem causa, & ibi Armilla n. 14. Sotus lib. 7. de just. q. 4. art. 1. col. 3. versic. Circa hanc conclusionem, & art. 3. col. 6. versic. De causis subinde, Palacios 4. dist. 38. disput. 3. col. 36. fol. 880. & ibi Ovandus disput. unic. proposit. 25. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 12. in dubio circa secundam conclusionem, dict. 1. fol. 1041. Valentia 2. 2. disput. 6. q. 6. puncto 7. col. 2. versic. Respondeo, & col. penult. dub. 2. Emmanuel Sà summa, verb. Votum, ubi de voti irritatione n. 17. Suarez tomo 2. de re lig. tract. de voto, lib. 6. c. 20. n. 1. 5. & 10. Leonardus lib. 2. de just. c. 40. dub. 11. n. 94. & c. 41. dub. 12. n. 57. versic. Tertiò commutatione, Manuel in Bulla Cruciata §. 9. n. 116. & addit. ad eamdem §. 9. n. 105. Petrus de Ledesma 2. tomo summæ, tract. 10. c. 8. in 4. p. tract. de causis dispensandi, statim in principio, versic. Para mas eficacia, Enriquez, lib. 7. de indulg. c. 30. n. 5. Sayro in clavi regia, lib. 6. c. 11. nu. 120. & c. 12. nu. 2. Pedraza in summa, precepto 1. §. 8.*

3 De juramento autem est majus dubium. Quidam enim censent materiam subrogatam non obligare vinculo juramenti, sed id prorsus extingui, nisi de novo emittatur, sed solo voti vinculo obligare, si prius juramentum erat Deo factum: & solo promissionis humanæ nexu, si factum fuisset homini. Ducuntur, quod juramentum nequeat ex sola voluntate transferri in aliam materiam, nisi illa denuo jurejurando muniatur. Quare cum hoc non fiat, illa commutationis acceptatio solam promissionis vim habet: & ideò si juramentum erat Deo, erit promissio ipsi facta, & consequenter votum: si autem homini, erit promissio humana. Et confirmatur ex *c. penult. de jurejur.* ubi decernitur clericum, qui juraverat servare statuta edita, & postea promisit per idem juramentum servare statutum de novo conditum, non teneri juramentum servare statutum de novo conditum, non teneri juramento, sed sola promissione ad novum statutum, Cujus ratio est, quod juramentum prius non repetitum nequeat ex sola jurantis voluntate extendi. At eadem est ratio de translatione ab una materia in aliam. Quam etiam partem confirmat doctrina, quam *n. 5.* referemus. Et in propriis terminis hanc partem tuetur *Leonardus lib. 2. de just. c. 42. dub. 12. n. 57. versic. Tertiò commutatione.*

4 At dicendum est, quoties commutatur juramentum, sive ex consensu partium, sive auctoritate superioris, sive propria, in evidenter melius, non omnino extingui prioris juramenti obligationem, sed extingui circa solam priorem materiam, & transferri eamdemmet in materiam subrogatam. Quia si omnino extingueretur vinculum prioris juramenti: aut non esset vera commutatio, sed extinctio vinculi, aut esset commutatio in speciem diversam, ut promissionis juratæ in simplicem. Hoc autem apertè adversatur contrahentium menti. Quippe creditor commutationem promissionis sibi juratæ acceptans, nullatenus censetur cedere jure suo, velleque promissionem minori vinculo munitam loco prioris acceptare: aliàs defraudaretur. Quod idemmet contingit in commutatione juramenti facti Deo: nec enim Deus est visus aliter commutationem acceptare, nisi acceptando materiam subrogatam, sub ejusdem juramenti vinculo, sicut in voti commutatione contingit. Secundò, quia ratio contraria, & textus in contrarium adductus, non obstant. Quippe diversa est ratio de juramenti extensione, & de ejus commutatione. Extensio enim ut sic non dicit virtualem aliquam juramenti repetitionem, sed solam ejusdem juramenti applicationem ad novam materiam: quæ applicatio est impossibilis. Ut probant ea ratio, & textus. At commutatio juramenti claudit virtualem ejus repetitionem: sicut in voti commutatione contingit. Atque ita tradunt, *Aragon. 2. 2. q. 89. artic. 9. col. anteponult. in probatione secundæ propositionis, fol. 1088. Suarez tomo 2. de relig. tract. de juramento, lib. 2. c. 36. n. 8. & duplici sequenti.*

5 Hinc deducitur primo decisio ejus quæstionis: an juramentum solvendi debiti intra certam diem, si prorogetur a creditore terminus, obliget in termino subrogato. Quidam negant, & ideò dicunt hunc non fore perjurii reum, sed solius promissionis humanæ violatæ, si eo termino subrogato non solvat. Ducuntur, quod juramentum ex sola partis voluntate extendi nequeat, *c. penult. de jurejur.* Secundò, quia excommunicatio lata in debitorem, si certa die non solverit, cessat omnino, prorogata die per solum creditorem, & ideò ea non incurretur non solvendo die alia destinata. Ita tradunt, *Rainerius, & Matthæus*, quos refert, & sequitur *Cardinalis Clemen. 1. §. Nos itaque qu. 5. nn. 18. de jurejur. Decius c. De causis, in novæ edit. n. 49. paulo ante versic. Secundò præterea.* Et *l. Lecta n. 14. ff. si certum petatur.* Et videtur etiam tenere *c. Præterea el 2. nu. 11. versic. Sed tamen in juramento, de appellation.* tenet etiam *Cotta in memorabilibus juris, lit. I. verb. Juramentum, versic. Juramentum interpositum per debitorem, Beroius in suis quæst. familiaribus, quæst. 100. in fine, Gratus consilio 15. n. 18. & duplici sequenti volumine primo, Leonardus lib. 2. de justit. c. 42. dub. 12. nu. 57. versic. Tertiò commutatione.*

6 At dicendum est, juramentum obligare in termino illo posteriori per creditorem designato, atque ita debitorem eo non solventem fore prioris juramenti violati reum. Ducor, quod in hoc eventu nulla nova obligatio inducatur, sed est eademmet solvendi debiti ab initio contracta, solaque solutionis dies differtur. Ergo manet affecta obligatio illa eodem juramento. Et confirmatur, quia jurans solvere certa die, duo virtute jurat. Prius est, se soluturum, posterius, id futurum ea die, *l. Celsus 28. §. Idem ait, versic. Sed ipse rectè, ff. de receptis arbitris.* Ergo remittente creditore, seu prorogante posteriorem obligationem, non manet debitor liber a priori jurata, sed illa ad diem destinatam protenditur. Atque adeò hoc non est aliqua prioris juramenti extensio, sed potiùs coarctatio: id enim juramentum obligabat strictiùs, & per prorogationem termini indulgetur partis ejus remissio. Secundo, quia prorogatio videtur facta cum omnibus qualitatibus, & clausulis rei prorogatæ, *l. Lecta 40. ff. si certum petatur: & l. Legem 19. C. de locato.* Et utrobique DD. cum *Glossa finali c. Hi qui auctoritate, de prabend. in 6. & ibi Franco in fine.* Ergo prorogatio illius termini videtur facta cum qualitate prioris. Nec obstant contraria. Quia ad primum constat ex dictis in confirmatione præcedenti. Ad secundum dic esse disparem rationem. Quòd judex excommunicarat ad diem illam solam. & cum excommunicare sit actus jurisdictionis, nequit ex solo partium jurisdictione carentium consensu prorogari. At juramentum non prorogatur, ut diximus: excommunicatio enim erat illi soli diei allegata: juramentum autem minimè. Et ideò hanc partem tuentur *Bartol. lib. 1. Et post operis, nu. 7. juncto nu. 5. ff. de novi operis nuntiatione: & Idem dicemus in juramento, Boerius decisione 284. num. 11. Barbatius consil. 31. paulo ante finem, vol. 1. Natta consil. 57. num. 4. lib. 3. Bolognetus dict. l. Lecta nu. 33. quæst. 2. & ibi Cagnolus nu. 101. Covar. de pactis 1. part. in initio, nu. 6. versic. Secundò constat, in fine, & versic. Quintò ut difficultatem*, ubi contrariam sententiam appellat fallam. *Decisio Capella Tolosanæ 182. num. 1. Perez lib. 3. ordinamenti, in tit. 4. lib. 1. versiculi, Hins infertur, quòd si juravi, Curtius junior. dict. l. Lecta, num. 10. Antonius Gabriel in suis communibus opinionibus, lib. 2. tit. de dilationibus, conclus. 2. num. 11. Seraphinus de privilegiis juramenti, privileg. 22. nu. 88. Gutierez de juramento confirmatorio 1. part. cap. 49. nu. 10. Tuschus in suis conclusionibus practicis lit. C, verbo, Compromissum, conclusione 518. nu. 7. Emanuel Sà sum-*

ſumma, *verbo Juramentum n.* 15. *Azor. tom.* 1. *inſtitutionum moralium*, *lib.* 11. *c.* 10. *q.* 13. *Suarez tomo* 2. *de religione tractatu de juramento*, *lib.* 2. *c.* 36. *num.* 12. *&* 13. *Blancus de compromiſſis*, *§.* 7. *principali*, *ubi de prorogatione*, *num.* 58. *in fine.*

7 Sed major difficultas eſt, quando juramentum non claudebat utrumque terminum, ſed ejus obligatio erat priori tempori ligata, & eo tranſacto finiebatur: an eo termino prorogato per creditorem, obliget adhuc juramentum in termino ſubrogato. Quidam negant obligare. Sic *Bolognetus* relatus *num. precedent.* Et ad idem ſunt Doctores *numero nono* referendi, dicentes idem in compromiſſo, cujus dies ex partium conſenſu prorogatur. Quia ea doctrina iiſdem fundamentis innititur. Ratio ergo hujus ſententiæ eſt, quòd cum in hoc caſu juramentum prius non obligaret ultra priorem terminum, nec repetatur circa hunc poſteriorem, ſi dicamus in hoc poſteriori obligare, erit ejus extenſio contra deciſionem *c. penultimi de jurejurand.* Præterea, quia quando juramentum ab initio præſtitum complectebatur id de quo nunc tractatur, benè extenditur ad hoc, ſecùs autem, quando id non complectebatur. Ut tradunt ſic intelligentes textum in *eo c. penultimo*, *Bartolus l. Finali num.* 3. *C. de vendendis rebus civitatis*, *lib.* 11. quem ibi ſequuntur *Lucas de Penna*, *Platea*, *Jacobus Rebuffus*, *Angelus*, quos refert, & ſequitur *Boerius deciſione* 284. *num.* 11. *& Jaſon l.* 1. *§. Et poſt operis*, *num.* 8. *ff. de operis novi nuntiatione*. Cum ergo juramentum ab initio non complecteretur hunc poſteriorem terminum, non eſt dicendum extendi ad illum. Præterea, quia quæſtionem valde controverſam, an fidejuſſor obligatus ad ſolvendum certa die, eximatur ab obligatione fidejuſſoria, quando ex creditoris conſenſu prorogatur dies ſolutioni deſtinata; ſic decidunt *Bart. Abbas*, *Hoſtienſ. Anchar.* & alii multi, quos referunt, & ſequuntur *Covarr. de pactis* 1. *p. in initio*, *num.* 6. *verſ. Quartò apparet*, *Gutierez de juram.* 1. *p. c.* 49. *n.* 15. Si terminus prior eſt appoſitus ad obligationis principalis extinctionem, non tenetur fidejuſſor eo prorogato: ſecùs verò quando terminus non appoſitus eſt ad obligationem in poſterum extinguendam, ſed ut ex tunc poſſit cogi debitor ad ſolvendum. Quòd in priori eventu non cenſeatur illa vera obligationis priſtinæ prorogatio, ſed verè nova obligatio: ſecùs in poſteriori. Sic ergo videtur dicendum in præſenti. Fateor rationes has valdè urgere, & auctoritatem Doctorum hanc partem in ſimili omnino compromiſſi caſu tenentium; quos *num.* 9. referam. Et ideò exiſtimo eam eſſe valde probabilem. At probabilius exiſtimo adhuc id juramenti vinculum obligare in eo termino poſteriori ſubrogato. Ducor primò, quia nullam diſcriminis rationem invenio inter votum, & juramentum: at ſi votum alligatum diei, ut jejunandi vigilia beatæ Virginis commutetur in aliam diem, obligabit abſque dubio votum in die illa ſubrogata. Ergo idem prorſus eſt dicendum de juramento, ſive ſoli Deo fiat, ſive etiam homini. Quippe in utraque commutatione prorogatur terminus ex conſenſu veri creditoris. Secundò, quia in hac prorogatione non initur novum pactum in ſubſtantia, ſed idemmet pro majori tempore differtur, ac ſubinde totum ipſum eodem juramento veſtitum prorogatur: atque adeo non eſt extenſio juramenti ad novam materiam ſed continuatio ejuſdem circa eadem materiam continuatam. Secundò, quia militant rationes traditæ *num.* 4. Nec obſtant contraria. Quia ad primum conſtat ex dictis. Ad ſecundum poteſt dici hunc poſteriorem terminum non omnino eſſe extra prius juramentum, cum ſit idem pactum continuatum, ac juramentum tamquam illi acceſſorium ſequatur principale pactum prorogatum. Ad tertium dic cum *Felino* referente *Hoſtienſem*, eam regulam, ut prorogatio cenſeatur facta cum ſuis acceſſoriis, intelligi de acceſſoriis pendentibus ex partium conſenſu qualia ſunt pignora, juramentum, pœna promiſſa: ſecùs de iis, quæ ex voluntate alia pendent, ut eſt fidejuſſio. Quem intellectum tradit cum *Hoſtienſi Felinus c.* 1. *num.* 5. *de jureiurand. & c.* 2. *num.* 34. *de ſponſal.* Quæ doctrina eſt pro hac parte. Et pro ea ſunt DD. *n.* 10. referendi, tenentes in compromiſſo hanc partem, in quo eadem prorſus militat ratio.

8 Secundò deducitur ſolutio ejus quæſtionis, an compromittentes litem die ſignata decidendam, adjecto parendi ſententiæ juramento, teneantur ex vi illius juramenti parere ſententiæ; ſi terminus ille conſenſu partium prorogetur. Et quidem ſi ab initio conventum eſt, ut prorogari poſſet, certum eſt teneri juramento. Quia terminus prorogatus eſt incluſus in priori illo pacto jurato. Et ita tradunt *Bald. conſilio* 436. *num.* 1. *volum.* 1. *Decius l. Lecta*, *num.* 14. *ff. Si certum petatur*, *& ibi Bolognetus*, *n.* 31. *q.* 2. *Blancus de compromiſſis*, *q.* 7. *principali*, *ubi de prorogatione*, *num.* 59. *in initio*, *Covarr. de pactis* 1. *p. in initio*, *num.* 9. *verſ. Septimò*, *Barthol. Socinus conſil.* 99. *num.* 2. *&* 3. *volum.* 3. *Seraphinus de privilegiis juramenti*, *privilegio* 22. *n.* 84. *Gutierez de juramento* 1. *p. c.* 49. *in fine*, *Tuſchus in ſuis concluſionibus practicis*, *littera I. verb. Juramentum*, *concluſ.* 520. *num.* 2.

9 Tota autem difficultas eſt, quando non eſt conventum de illa prorogandi poteſtate, dum compromiſſum factum eſt. Qua in re quidam ſentiunt obligari in termino non ſubrogato, virtute prioris juramenti, ſed ſola promiſſione humana. Quia terminus prior adjectus extinguebat id compromiſſum, utpote quod ultra eum nullas vires habebat. Et proinde militant rationes traditæ, *num.* 7. pro priori ſententia *ibi* relata. Et ideò hæc opinio eſt valde probabilis, ut *ibi* dixi. Et eam tenent *Bald. toto eo conſilio* 436. *Decius*, *Blancus*, *num.* 58. *in fine*, *Bartholomeus Socinus*, *Bolognetus*, *Seraphinus*, *Gutierez* ubi eos retuli *n. præced. Covarr. eod. n.* 6. *verſ. Secundò conſtat*, *in fine*, *& verſic. Octavò ſi prorogatio*, *Hippolytus ſingulari* 300. *n.* 2. *Ruinus conſilio* 61. *num.* 38. *vol.* 5. *Azor. tom.* 1. *inſtitutionum moralium lib.* 11. *c.* 8. *q.* 12.

10 At verius eſt obligare etiam tunc juramentum. Quod probant rationes traditæ *num.* 7. pro poſteriori ſententia, ubi & contrariis eſt reſponſum. Et ita docent *Calcaneus conſil.* 80. *num.* 15. & ferè omnes relati *num.* 6. contra ſententiam *Cardinalis* relatam *num.* 5. ſentientes, ut teſtatur *Covarr. eod. num.* 6. *verſic. Octavo ſi prorogatio*, *in fine*: *& ipſemet eodem num.* 6. *verſic. Fortaſſis quibuſdam*, titubat, & potiùs in hanc ſententiam inclinat. Eamdem tenent *Tuſchus in ſuis concluſionibus practicis*, *lit. C. verbo Compromiſſum*, *concl.* 518. *num.* 5. *Anton. Gabriel in ſuis communibus opinionibus*, *l.* 2. *tit. de dilationib. concluſ.* 2. *numer.* 11. *Suarez tom.* 2. *de relig. tractatu de juramento*, *lib.* 2. *c.* 36. *num.* 14.

11 Quare à fortiori ſententia hæc verum habebit, ſi prorogetur terminus ille compromiſſi, cum eiſdem clauſulis, & vinculis priùs adhibitis, vel per idem juramentum ab initio præſtitum. Quamvis contrarium velint *Bald. eo conſilio* 436. *num.* 1. *Socinus eo conſil.* 99. *num.* 2. *&* 3. *Covarr. eodem num.* 6. *verſic. Nono ex prænotatis*, *Tuſchus in ſuis concluſion. practicis*, *litt. I. verb. Juramentum*, *concluſione* 520. *num.* 2. dicentes nec tunc cenſeri ſatis repetitum juramentum.

12 Demum duo obſervanda ſunt. Prius eſt. Si votum juramento firmatum commutetur, materia per commutationem ſubrogata, ſolo voti vinculo obligabit. Quia tunc non commutatur juramentum, ſed ſolùm votum, & juramentum ex conſequenti ceſſat obligare. Poteſt tamen qui votum commutat, nolle id commutare, niſi vovens utramque obligationem acceptet. Sed modus hic commutandi non eſt neceſſarius, ſed poteſt ſimpliciter commutari votum, & tunc tolletur juramentum, & manebit votum non juratum. Et ita tradit *Suarez tom.* 2. *de relig. tractatu de voto*, *lib.* 6. *c.* 14. *num.* 18.

13 Poſterius eſt. Dupliciter commutari poteſt votum, aut juramentum. Priori modo, quando abſolutè fit commutatio in aliam materiam, ut communiter fieri ſolet: & tunc extinguitur obligatio circa priorem materiam, & tranſit ſub eodem vinculo in poſteriorem, & hoc ſiue in voto, ſiue in juramento. Ut diximus *num.* 2. & 4. Poſteriori modo non auferendo omnino obligationem circa priorem materiam, ſed ſub conditione, ut ſi maluerit, poſſit votum illud, aut juramentum in alia materia implere. Et tunc non aufertur omninò obligatio prioris materiæ; ſed ex abſoluta fit conditionalis, vel ex præciſa fit alternatiua. Ita docet *Suarez eod. tom.* 2. *de religione*, *tract. de juramento*, *lib.* 2. *c.* 36. *num.* 11.

SUMMARIUM.

An non impleta materia ſubrogata per voti, aut juramenti commutationem, aut ea reddita impoſſibili, reviviſcat prioris vinculi obligatio? Refertur quædam ſententia, *n.* 14.

Explicatur ſententia Auctoris, & ſolvuntur contraria, *n.* 15.

Quid, ſi votorum commutatio fiat à jure? *num.* 16.

An ligatus ſimplici religionis voto, ejectus poſt profeſſionem, teneatur aliam religionem ingredi? Refertur quædam ſententia, *num.* 17.

Explicatur ſententia Auctoris, *num.* 18.

Quid, ſi voverat religionem aliam caſu, quo ab illa ejiceretur? *n.* 19.

An ſi fictè acceptavit commutationem, teneatur ad prius votum? *num.* 20.

An quando votum religionis, aut caſtitatis, commutatur à Pontifice, vel pœnitentario, admixta diſpenſatione, ad ſolum prioris matrimonii ineundi effectum, deſinat obligare materia per commutationem ſubrogata, quando redit integra prioris voti obligatio, eo matrimonio ſoluto? *num* 21. *Et ibi quid quando Epiſcopus ſic commutat, vel aliud votum commutatur ad tempus?*

An obligatio huius materiæ ſubrogatæ incipiat à die, qua initur matrimonium, an à die commutationis? *num.* 22.

An poſſit confeſſarius ita differre commutationem illam, ut materia ſubgrogata incipiat obligare à tempore matrimonii initi? *n.* 23.

Poſt num. 23. *invenies ſummaria, quæ deſiderantur.*

14 QUæſtio ſecunda. An non impleta, aut reddita impoſſibili, materia ſubrogata per voti, aut juramenti commutationem, reviviſcat obligatio circa priorem materiam? Procedit autem hæc quæſtio, quando aliunde non ceſſavit voti, aut juramenti circa priorem materiam obligatio, ut quia tempori alligata erat, vel alia ratione. Quidam cenſent hunc obligari ad priorem materiam, quando culpa ſua materiam ſubrogatam non implevit, vel tempore mutationis caruit animo implendi. Ducuntur, quòd commutatio utpote, quæ prius vinculum non omninò extinguit, ſed transfert, fiat inſtar contractus conditionalis, *facio dummodo facias*, & ſic ſub tacita conditione, *ſi materia ſubrogata impleatur*. Secundò, ex doctrina *Soti*, & aliorum, quam *num.* 17. referemus. Tertiò, quia facta commutatione eſt licitus vouenti tranſitus ad priorem materiam. Ut dicemus *num.* 26. Ergo manet obligatio disjunctiva, unius aut alterius materiæ. At debitor ſub disjunctione tenetur ad alteram partem, quoties

ties ex culpa ſua, aut ex inculpabili impotentia alteram partem non ſolvit. Et ideò hanc partem tenet *Manuel additionibus ad Bullam Cruciatam*, *§.* 9. *n.* 117. *&* 118.

15 At dicendum eſt, nequaquam reviviſcere prioris materiæ obligationem, quantumvis ſua culpa vovens omiſerit materiam ſubrogatam implere, & reddita ſit jam impoſſibilis. Ducor, quod per commutationem ſit obligatio prorſus extincta circa priorem materiam, ut probavi *n.* 2. At obligatio ſemel extincta non reviviſcit *l. qui res §. Arcam ff. de ſolut.* Quod in obligationibus propria voluntate aſſumptis clariùs patet, quales ſunt juramenti, & voti: ſemel enim ablata obligatio nequit redire, niſi iterum votum, aut juramentum emittatur. Et confirmatur, quia nullo jure probatur commutationem illam ſub conditione fieri, nec quando commutatur votum, ea conditio apponitur. Si enim apponeretur, aut tacitè ineſſet, nil referret, ſive culpatè, ſive inculpatè non mandaretur executioni materia, in quam eſt votum commutatum: utroque enim caſu voti obligatio reviviſceret. Tandem quia etſi facta commutatione, liber maneat voventi reditus ad priorem materiam, ut dicemus *n.* 26. non inde ſequitur obligationem manentem facta voti commutatione, eſſe puram alternativam: ſed verè eſt determinata ad materiam ſubrogatam, quamvis eo privilegio fruatur vovens, ut poſſit loco illius priorem materiam exequi: & ideò obligatio per ſe cadit in materiam poſteriorem, quamvis ut priori impleri valeat ex interpretativo, & favorabili creditoris conſenſu. Et confirmatur, quia non eſt par ratio de obligatione exequendæ prioris materiæ, quando poſterior omiſſa eſt, nec impleri poteſt, & deliberatè implendi voti in priori materia. Quod hæc ad favorem commutatione conceſſum ſpectet; illa autem ad commutationis reſtrictionem, & ad eam reddendam conditionalem, qualis non præſumitur, niſi expreſsè fiat ſub tali conditione. Et ex his conſtat ſolutio ad contraria. Et ideò hanc partem amplexus ſum *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 9. *n.* 21. Et eam tenent *Graffis* 1. *p. deciſionum*, *lib.* 2. *c.* 30. *n.* 3. *Sayro in clavi regia*, *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 24. *Vivaldus candelabro ſacramentorum* 2. *p. c.* 14. *n.* 27. *Suarez tom.* 2. *de relig. tract. de voto*, *lib.* 6. *c.* 20. *a n.* 9. *uſque ad* 12.

16 Hoc autem limitant *Graffis ibi*, *& Vivaldus n.* 28. ut intelligatur, quando commutatio fit ab homine, ſecùs de facta a jure, qualis fit in religionis ingreſſum, *c. Scriptura*, *de voto*. Sed hanc limitationem *ibidem* rejeci, & illam rejiciunt *Sayro ibi*, *& Suarez nu.* 11. Quia vota non in ſolum ingreſſum ad novitiatum commutantur, ſed in profeſſionem, quæ perpetua, & immutabilis eſt, & ita commutatio in illam facta manet perpetua, & immutabilis. Quod ſi contingat profeſſum ejici, non reviviſcunt vota. Ut dicemus *num.* 18.

17 Hinc deducitur deciſio ejus quæſtionis: an ſi quis religionem abſolutè voveat, & ingreſſus ejiciatur poſt profeſſionem in perpetuum, reviviſcat prius id votum, ac ſubinde teneatur hic aliam religionem ingredi? Affirmant quidam tamquam probabilius, quamvis oppoſitum etiam dicant probabile. Ducuntur, quod votum id ante profeſſionem emiſſum, non fuerit determinatæ religionis, ſed indeterminatæ, & vagæ. Ergo ſicut hic non ſatisfeciſſet voto, ſi petens in aliquam religionem admitti, non admitteretur, ſed teneretur alias religiones procurare: ita non ſatisfaciet, ſi expulſus a religione, in qua profeſſus eſt, aliam ingredi non intentet. Item quia voto caſtitatis adſtrictus tranſiens ad nuptias tenetur, quatenus poteſt, ad prius votum, ut abſtinendo a debiti petitione. Ergo ſimiliter hic profeſſus expulſus tenebitur ad prius religionis votum ingrediendo aliam. Ita docent *Sotus lib.* 7. *de juſt. q.* 2. *art.* 1. *in ſolut. ad* 3. *in fine*, *verſ. Quid ſi*, *Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *in ſolut. ad* 2. *in fine*, *Graffis* 1. *p. deciſionum*, *lib.* 2. *c.* 30. *n.* 3. *Manuel additionibus ad Bullam Cruciatam*, *§.* 9. *n.* 117. *&* 118. *Vega* 2. *tom. ſumma*, *c.* 129. *caſu* 79. *Corradus in ſuis reſponſis* 1. *p. q.* 285.

18 At dicendum eſt, minimè teneri. Quia omnia vota ante profeſſionem facta, commutatur in ipſam, ac per eam extinguntur, *c. Scriptura de voto*. At obligatio ſemel extincta non reviviſcit. Et hinc conſtat ad rationes contrarias. Nam votum religionis indeterminatæ non extinguitur, ex hoc quod vovens petens aliquam determinatam, non admittatur in eam, nec votum caſtitatis per matrimonium poſtea initum. Et ideò hanc partem tuentur *Azor. tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *c.* 16. *q.* 5. *Sayro in clavi regia*, *lib.* 6. *c.* 9. *in fine*, *Leonardus lib.* 2. *de juſt. c.* 41. *dub.* 15. *n.* 111. Qui omnes jure optimo non diſtinguunt, an votum id fuerit religionis ſtrictioris ea, in qua profeſſus eſt: an fuerit ſolius ingreſſus, an etiam perſeverantiæ. Quia etſi peccarit profitendo in laxiori contra votum ingreſſus, & perſeverantiæ in ſtrictiori: at per profeſſionem in laxiori prius id votum eſt ſimiliter extinctum, juxta *c. penult. de regular. in* 6.

19 Hanc tamen partem limitat *Leonardus ibidem*, niſi dum illa vovit religionem, ſe expreſsè obligarit ad aliam religionem capeſſendam, ſi contingeret a ſemel aſſumpta eum ejici poſt profeſſionem. Ducitur, quod id votum non ſit in profeſſionem commutatum, cum nulla commutationis ratio adſit; executio enim ejus non concurrit cum profeſſionis executione, ſed ſolùm inducitur in ejus locum, ſi contingat eum expelli. Et placet limitatio, at debet intelligi, niſi ille expreſsè vellet id votum commutare in eam profeſſionem. Poſſet enim loco illius voti eligere profiteri, & ſic in profeſſionem, ad quam non tenebatur, commutare; & facta commutatione licèt expellatur jam profeſſus, non reviviſcet. Juxta dicta *n.* 15.

20 Quando autem fictè acceptatur voti commutatio: quod eſt alterum membrum opinionis relatæ *n.* 14. diximus ſatis *hoc lib.* 4. *c.* 47. *n.* 6.

21 Supereſt duplex difficultas. Prior eſt, an quando votum commutatum, re ipſa redit, eò quòd commutatio ad actum temporalem dumtaxat fuerit, ceſſet commutationis obligatio, quo ad materiam ſubrogatam. Verbi gratia, Pontifex, & ſummus pœnitentiarius ſolent partim diſpenſando commutare votum religionis, & caſtitatis, in aliqua pia opera, ad effectum ſolius prioris matrimonii ineundi, & ideò eo matrimonio ſoluto redit integrè priſtina illorum votorum obligatio: dubitatur ergo, an tunc ceſſet obligatio ad pia illa opera loco illius voti ſubrogata. Et videtur ceſſare, quod ea materia ſit loco prioris promiſſæ impoſita: ergo tamdiu cenſetur durare, quamdiu prior materia non obligat, ac proinde redeunte ejus obligatione ceſſabit. At quamvis regulariter in commutationibus aliis temporaneis, ita eſſe credam, ob rationem propoſitam: at in exemplo adhibito credo non ceſſare obligationem ad materiam ſubrogatam. Ducor ex tenore litterarum, quibus conceditur facultas confeſſario in foro conſcientiæ ad hæc vota commutanda; quam retuli *lib.* 8. *de matrim. diſput.* 34. *n.* 1. *&* 2. qui idem eſt, quando committitur commutatio officiali diœceſano in foro externo; ut notavi *ibi*, *diſput.* 35. *nu.* 4. quia *ibi* ſic dicitur. *Diſpenſando commutes in frequentiam ſacramentalis confeſſionis*, *ſingulis*, *ſcilicet*, *menſibus*, *ſemel*, *vel quoties tibi videbitur*: *& in alia pœnitentia opera per te injungenda*, *inter qua ſint aliqua pietatis opera*, *qua quotidie facere teneatur*, *ad eum finem*, *ut ea adimplens meminiſſe ſemper poſſit obligationis*, *qua hujuſmodi voto adſtringebatur*. Ubi pondero dicere, *ſingulis menſibus*, inſuper, *in alia pietatis opera*, *qua quotidie facere teneatur*, inſuper, *ut meminiſſe ſemper poſſit obligationis*. Quæ omnia verba quamdam perpetuitatem important. Præterea, quia quando volunt votum non in perpetuum extingui, id declarant in eiſdem litteris, dicentes non extingui, niſi ad effectum illius matrimonii ineundi. At ſi idem vellent circa materiam ſubrogatam, id utique explicarent, nec apponerent verba perpetuitatem indicantia. Et ratio poteſt eſſe, quia commutatio ejus voti tam ardui ad ſtatum perpetuum aſſumendum, & quod poteſt numquam redire, ut ſi vovens moriatur, priuſquam alter conjux, aut ſoluto matrimonio ſit ita ſenex, ut ſit religioni ineptus, quamvis redire poſſit, petit fieri in materiam perpetuam, quæ quamvis perpetua, eſt multo minoris æſtimationis apud Deum, quàm materia promiſſa etiam eo modo temporaliter commutata: & ideò adhuc admiſcetur multum diſpenſationis. Quare idem credo dicendum, quando ſimili commutatione uteretur epiſcopus, diſpenſans partim in eis votis, aut ratione neceſſitatis, quòd adiri nequeat Pontifex, aut quia conditionalia, aut pœnalia ſunt. Quia in dubio videtur ſe conformare menti Pontificis.

22 Poſterior difficultas eſt. An iis exemplis adhibitis *num. præced.* incipiat obligatio materiæ ſubrogatæ a die, qua commutatur votum, vel a die, qua initur matrimonium. Videtur ab hac obligare: quia tunc incipit uſus commutationis, veniendo contra materiam priùs promiſſam. At dicendum eſt, incipere a die commutationis. Quia ex tunc liber ille manet a materia priùs promiſſa, & poteſt inire matrimonium, & verè eſt illi votum commutatum, & ſubinde tranſlata prioris voti obligatio in materiam ſubrogatam.

23 Poteſt tamen confeſſor differre commututionem, ut non obliget niſi a tempore, quo vovens initurus eſt matrimonium, non deobligando ex tunc a priori voto: id enim fieri nequit, niſi acceptata ex tunc commutatione: ſed manente adhuc prioris voti obligatione poteſt commutare ab eo tempore, quo vovens eſt contraventurus voto, per matrimonium. Sicut etiam poteſt vovens non præſentare litteras illius diſpenſationis commixtæ commutationi, uſque ad id tempus. Utrumque autem intelligitur, niſi inſtaret obligationis tempus implendi voti religionis, tunc enim nequit differri commutatio. Cum enim ea dilata, obliget adhuc votum, tenebitur illud implere, aut commutationem ex tunc acceptare.

SUMMARIUM.

An acceptata legitima voti, aut juramenti commutatione, ſit integrum ad voti priorem materiam redire? Refertur duplex ſententia, *n.* 24. *&* 25.

Explicatur ſententia Auctoris, & ſimul ſolvuntur contraria, *n.* 26. *&* 27.

An ſæpè voto commutato, liceat ad quamcumque materiam redire? *n.* 28.

An renuntians commutationi poſſit ad illam redire? *n.* 29.

An ſi facta commutatione emittatur iterum prius votum, obliget prius votum, ſimul cum commutatione; nec tunc liceat omiſſa commutatione ad prius votum redire? *n.* 30.

24 QUæſtio ultima. An acceptata legitima voti commutatione, integrum ſit voventi redire ad priorem materiam promiſſam, omiſſa ſubrogata per illam commutationem? Hanc in re non poteſt dubitari

quin liceat, quando commutatio in minus facta est, admixta dispensatione. Quia licet cuicumque propria auctoritate votum in melius commutare, nedum redire omissa commutatione, ad materiam meliorem priùs promissam. Difficultas ergo est, quando commutatio facta est in rem æqualem, aut meliorem. Quidam sentiunt non esse eum reditum ad priorem materiam licitum. Ducuntur, quòd acceptata commutatione, sit prorsus extinctum votum circa priorem materiam, & sit quasi novum posterioris materiæ votum. At nequibit vovens commutare propria auctoritate etiam in rem æqualem. Ergo non licet illi redire ad priorem materiam æqualem. Secundò quia totam commutationem esse in voventis favorem, non probat hunc reditum licere, acceptata semel commutatione. Sicut religioso translato ex legitima licentia ad religionem æqualem, non licet ad priorem æqualem redire propria auctoritate: nec pupillo ex tutoris licentia obligatio integrum est retrocedere, quamvis licentia illa in utriusque favorem concessa esset. Tandem quia si hic reditus liceret, non esset commutatio in æquale: eo quod prior voti obligatio fuerit ad unam materiam determinatam, posterior verò ad illam, vel ad aliam. Et hanc sententiam dicit probabilem *Suarez tom. 2. de religione tractatu de voto, lib. 6. c. 20. n. 3. in fine.*

25 Alii admittunt hunc reditum ad priorem materiam, quando votum est commutatio in rem æqualem: non autem quando est commutatum in rem meliorem. Prior pars probatur rationibus tradendis *num. sequenti.* Posterior autem probatur; quia illa commutatio acceptata habet vim novi voti, quo commutans se obligat ad reddendum Deo aliquid melius, quàm antea promiserat. Ergo jam non licet illi respicere retro: id enim virtute erit votum rei præstantioris in minorem commutare. Secundò, quia commutatio in melius est absoluta, nec fit in voventis favorem, sed solius Dei, & in majorem ejus cultum. Sed ideò licet reditus, quando commutatio facta est in æquale, quod ea sit conditionata, si vovens voluerit, & ita non inducit præcisam obligationem, sed relicta electione voventi. Ergo is reditus non licebit, quando commutatio est facta in melius. Tandem quia nisi talis induceretur obligatio, nulla fieret commutatio in melius: quia potestas faciendi loco minoris boni id, quod melius est, intervenit semper in omni voto, absque ulla commutatione. Ergo quando fit commutatio, hoc additur, quod illa potestas transeat in obligationem, mutata obligatione voti ab inferiori opere, & translata in melius. Hanc partem his rationibus ductus tuetur *Suarez eo c. 20. nn. 1. & 4.* & utraque sententia est probabilis.

26 At probabilius reputo, licere propria auctoritate redire ad priorem materiam promissam, sive votum commutatum sit in rem æqualem, sive in meliorem. Ducor, quia cum tota commutatio fiat in favorem solius debitoris, idest, voventis, ipsius utilitati prospiciatur, ac faciliùs possit votum implere in materia subrogata, censetur facta modo magis favorabili ipsi voventi: ne quod in ipsius gratiam introductum est, retorqueatur in ipsius onus. Modus autem favorabilior est, ut libertas maneat acceptanti commutationem, aut in propria pristina materia votum implere, aut in materia subrogata. Quæ ratio æquè id probat, sive commutatio fiat in rem æqualem, sive in meliorem, quia utraque est tota in favorem voventis, quia putat se faciliùs posse in materia illa, sive æquali, sive meliori, votum implere: ac proinde, ut communiter contingit in his commutationibus, non eligitur illa materia melior subrogata, in favorem Dei, quasi per id intendendo cultum ejus augere, & rem meliorem sponte sua illi offerre: sed in solam voventis utilitatem, ut faciliùs impleat: eligitur autem melior materia, vel quia fit propria auctoritate, & nequit commutatio fieri nisi in evidenter melius: vel ad vitandos æqualitatis requisitæ scrupulos, si fiat auctoritate superioris. Cum ergo tota hæc commutatio fiat in solam voventis utilitatem, sicut quando commutatio fit in rem æqualem; idem de libertate redeundi ad pristinam materiam, dicendum est in utraque commutatione. Nec obstant adducta in contrarium *nu. 24.* Nam ad primum dico, non perinde esse, ac si novum votum emittatur circa posteriorem materiam subrogatam, independenter a priori: sed dicendum est, votum in aliam materiam commutatum extingui omnino, & absolutè, ad eum effectum, ut acceptans commutaaionem, jam in posterum in nullo eventu teneatur ad priorem materiam: at sub conditione, ad eum effectum, ut qualiscumque sit materia subrogata, liberum sit voventi redire ad priorem materiam. Ad secundum dic, non esse simile in illis exemplis. Quia non fit in illis tota commutatio in favorem obligati. Præterea facta professione in monasterio posteriori, acquiritur jus plenum monasterio per traditionem illam, & per obligationem legitimam pupilli homini, cum quo contraxit. Ad tertium respondet optimè *Suarez eodem c. 20. n. 4.* illam æqualitatem consurgentem ex libera alterutrius materiæ eligendæ potestate non esse magni momenti, quod si laicus sit, reddi justam ex causa ad commutationem petita: ea enim & ad commutationem, & ad favorem illum, justa reddenda sufficit. Ad argumenta secundæ sententiæ proposita *num. praeced.* respondetur. Ad primum dic idem argumentum concludere idemmet, quando commutatio est facta in rem æqualem. Quare respondendum est eodem prorsus modo, quo respondimus ad primum primæ sententiæ. Ad secundum negandum est antecedens; satis enim probavimus totam eam commutationem fieri in solam voventis utilitatem, & constabit clariùs ex dicendis *num. sequent.* Ad ultimum negatur sequela. Quia non semper est licitum facere id, quod melius est, omittendo materiam voti promissam, quæ minùs bona est; sed in solo duplici casu. Prior est, quando utraque est incompatibilis, & sic votum impediet majus illud bonum, ia eo enim eventu votum non obligat. Posterior est, quando eligitur sub pristina voti obligatione, in prioris materiæ minùs bonæ commutationem. Qui enim absolutè proponeret, aut voveret castitatem, non commutando in illam unicum jejunium antea promissum, absque dubio non liberaretur illius obligatione. Et ideò hujus sententiæ sunt apertè *Azor. tom. 1. institutionum moralium, lib. 11. c. 18. quæst. 10. & 12. Sayro in clavi regia, lib. 6. c. 12. n. 22. Leonardus lib. 2. de justitia, c. 40. dub. 22. nu. 97.* ubi absolutè, & nulla adhibita distinctione, an commutatio fuerit in rem æqualem, an in meliorem, tradunt hunc reditum ad priorem materiam licere. Et quamvis *Azor. ea qu. 10.* id probet, eo quòd commutatio fiat in bonum æquale; at non utitur ea ratione, quasi potissima, sed ea, quam nos tradidimus; & sic non videtur suam sententiam limitare, quam *ibi, & n. 20.* indistinctè tradit de commutatione. Et *Leonardus, & Sayro* solius nostræ rationis meminere; quare nulla est ratio, ob quam cum indistinctè loquantur, sint limitatè intelligendi de commutatione sola facta in bonum æquale. In neutro autem casu licebit, si acceptans commutationem, renuntiarit huic favori in ipsa incluso. Ut ait *Suarez num. 13. in fine.* At credo licere, quando factus est in bonum æquale; non ob illum favorem; sed ob rationem *num seq.* dandam.

27 Si tamen acceptans commutationem in melius bonum, id efficeret consulto ad majorem Dei cultum augendum, & ad id eligens materiam illam meliorem, loco prioris, nullatenus posset ad priorem materiam redire. Quia ea commutatio non in sui, sed in Dei favorem est facta. Secùs autem crederem, si in hoc eventu commutatio facta esset in bonum prorsus æquale. Quia ea totali æqualitate existente, æquè colitur utraque Deus, & aliquantulum excedit materia priùs promissa; cedit enim in voti favorem, ut priùs in propria materia, quàm in alia æquali impleatur. Quod si res esset dubia, an commutatio in melius facta sit hoc modo, an potiùs modo explicato *num. praced.* existimo in hoc dubio præsumendum fieri eo modo, quem *num. praced.* explicuimus. Quia frequentissimè fit commutatio illo modo, & ad exonerandum voventem potiùs, quàm ad illum gravandum; & ideò a communiter contingentibus, præsumenda est ita facta in hoc dubio, ac proinde in eo licebit reditus ad priorem materiam.

28 Imò; etsi sæpè votum sit commutatum, integrum est huic exequi votum, aut quamcumque materiam ex eis, in quas facta est commutatio. Ut si peregrinatio annua est legitimè commutata in menstruam confessionem, & hæc in jejunia aliquot, & hæc in aliquot preces, satisfaciat vovens exequendo peregrinationem, aut confessiones illas, aut ea jejunia, illasve preces. Quod omnes hæ commutationes in voventis gratiam sint factæ. Et ita docent *Azor. quæst. 20. Leonardus, Sayro* citati *num. praced.*

29 Quòd si roges, an postquam vovens rediit ad prius votum, nolens commutatione uti, possit iterum ad materiam subrogatam per commutationem redire. Aliqui simpliciter negant; quos tacito nomine refert *Suarez eodem c. 20. n. 13.* Sed sic distinguendum est. Si commutatio facta fuit in minus, non licet is reditus. Quia renuntiando ei commutationi, emittitur virtute de novo prius votum. At illud nequit propria auctoritate in minus bonum commutari; nec prior commutatio extenditur ad hoc votum, quasi de novo emissum. Et ita docet *Suarez ibidem.* Quòd si commutatio facta fuerit in bonum evidenter æquale, similiter non licebit reditus ad materiam subrogatam; retenta nostra sententia dicente non licere propria auctoritate commutare votum in rem evidenter æqualem. Quia in hoc casu militat eadem ratio tradita de commutatione in rem evidenter meliorem. Et tradit *Suarez ibidem.* Tandem si commutatio facta fuerit in melius bonum, licebit utique iterum ad illam redire, nisi votum sit ex reservatis Pontifici. Quia in aliis votis præter hæc est licita commutatio facta propria auctoritate in melius bonum.

30 Demum si facta commutatione, illam acceptans emittat iterum prius votum, spectanda est ejus intentio, an solùm fuerit redeundi ad prius votum, omissa commutatione, & tunc non tenebitur ad commutationem; secùs si animus fuerit se iterum eo voto ligandi, tunc enim ad utrumque tenebitur. Quod si dubia sit intentio, crederem etiam eum ad utrumque teneri. Quia votum denuo emissum, ac commutatio ex vi prioris voti obligans, sunt certa; intentio autem limitata ab utriusque obligatione excusans est dubia; ac proinde obligatio possidet.

CA-

CAPUT LVI.

Circa praxim commutandi vota, quæ in ea observanda sint ad materiæ subrogate æqualitatem, & ut omnibus pensatis rectè fiat.

SUMMARIUM.

Nequit circa commutanda vota præscribi certa regula, sed arbitrio prudentis est committendum, n. 1.
An ad majorem, vel æqualem materia per commutationem subrogata dignitatem, sit sola materia in se, & non ut voto affecta considerandæ? n. 2.
Quando commutatur votum vitandi alicujus peccati, qualiter æqualitas materiæ subrogatæ sit computanda? Et apponitur exemplum rectæ hujus commutationis, n. 3.
An quando commutantur votum, & juramentum ejusdem rei, debeat esse amplior commutatio? n. 4.
Quid, si sit votum alicujus rei, & alterum, aut juramentum non potenda commutationis, an sit utriusque vinculi ratio habenda, ut major sit commutatio? n. 5.
An spectanda sit æqualitas materiæ subrogatæ, juxta majorem, aut minorem virtutis excellentiam, cujus alterutra materia est actus; an potius spectandum sit, utra illarum sit voventi utilior in ordine ad finem voto intentum? n. 6.
An opus sit imponere similia opera proximiùs ad eumdem finem ordinaria? n. 7.
An sit tutior commutatio in frequentiam sacramentorum, & aliquot sacra facienda? n. 8.
An ad majorem commutationem habenda sit ratio majoris dignitatis finis intenti per votum? n. 9.
An habenda sit ratio difficultatis exequendi votum, & materiam subrogatam, ac votum pauperis in minorem eleemosynam commutari possit, quàm divitis; ac pauciora jejunia imponi valeant laborantibus, cholericis, debilibus, quàm otiosis, plegmaticis, ac robustis? n. 10.
An ad commutandam peregrinationem, sint computanda labor itineris, & expensæ? n. 11.
An ex his deducenda sint expensæ faciendæ domi? n. 12.
An pensanda sint juxta decentiam status voventis? Refertur opinio, n. 13.
Explicatur sententia Auctoris, n. 14.
An sint computandæ, eundi, & redeundi? Refertur opinio, n. 15.
Explicatur sententia Auctoris, n. 16.
Quid, si expleta peregrinatione, mutans voluntatem non rediret? n. 17.
Quid, si vovit invisere imaginem, & ipse, aut ipso sunt jam in loco remotiori, aut propinquiori? n. 18.
An ad has expensas computandas, sint attendenda itineris pericula, & damnum ex absentia pullulans rebus voventis, & tributa infidelibus solvenda, ut transitum in Hierosolymam permittant? n. 19.
An sint computanda expensæ in commorando in peregrinationis loco? n. 20.
An sint convertenda in favorem loci peregrinationis? n. 21.
An votum in favorem tertii redundans, sit convertendum in ejus favorem? n. 22.
An sint expensæ aliquæ computandæ in peregrinatione mendicando faciendæ? n. 23.
An votum reale possit in personale, & è contra, commutari? n. 24.
Explicatur intellectus textuum, & Doctorum, dicentium expensas commutandas in eleemosynas, & laborem in opera personalia, n. 25.
An votum Hierosolymitanum sit in ejus loci favorem commutandum? n. 26.
An exigatur in materia subrogata, æqualitas duratione, magnitudine, & numero, & votum perpetuum commutari? n. 27.
An votum certa die implendum, sit commutandum in rem eadem die exequendam? n. 28.
An sit eadem die exequenda, ubi commutans nil explicat? n. 29.
Qualiter votum conditionale sit commutandum, conditione non impleta? n. 30.
Quid, si tunc commutatio fiat in aliam obligationem conditionalem? n. 31.
Quid, si impleta conditione, fiat commutatio? n. 32.
Quid de commutatione voti pœnalis, post pœnam incursam? n. 33.
Quid quando pœna non est incursa, an habenda sit aliqua pœna ratio, an solius materia principalis? Refertur opinio, n. 34.
Explicatur sententia Auctoris, n. 35.
Qualiter sit commutandum votum pœnale, ne in posterum incuratur pœna? n. 36.
Qualiter fieri debeat commutatio, quando per ipsam sola dilatio datur? n. 37.
Qualiter in commutatione, sit pœnitentis fragilitas spectanda, & prospiciendum ei sit, ut vitetur transgrediendi periculum? num. 38. Et ibi an possit fieri commutatio in opera alio præcepto debita?
Apponitur exemplum commutationis voti Hierosolymitani, n. 39.
Exemplum affertur commutationis laboris peregrinandi, n. 40.
Affertur exemplum commutationis voti religionis; & explicatur, an illud, & votum castitatis, possint commutari, n. 41.
Exemplum commutationis voti non ineundi matrimonii, n. 42.
Aliud exemplum commutationis voti sacerdotii, n. 43.
Aliud commutationis voti jejunii omnibus sextis feriis, n. 44.

1 QUamvis nulla certa regula innumeris votis, & cum innumeris circumstantiis concurrentibus commutandis præscribi valeat; sed id prudentis arbitrio relinquendum sit. Ut *c. 1. de voto*, colligunt *Abb. ibi n. 2. Abulensis n. 30. Mum. q. 104. Navarr. summa Latina, & Hispana c. 12. c. 77. Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. c. 19. n. 21.* Verùm ad scienda, quæ in recta votorum commutatione spectari debeant, trademus aliquas regulas; & deinde aliqua peculiarium votorum commutationis exempla subjiciemus.

2 Prima regula sit. Major materiæ subrogatæ dignitas est spectanda respectu solius materiæ promissæ, nec ulla vinculi voti est ratio habenda. Quia quamvis utrumque in votorum dispensatione attendendum esse dixerimus *cap. 45. num. 37.* at in commutatione diversum est. Quia per illam tollitur omnino voti vinculum; in hac autem idem prorsus manet in materia subrogata. Ut probavi *cap. præcedenti num. 2.* Atque hanc tradunt *Cajet. 2. 2. q. 88. art. 12. col. 2. vers. In commutatione autem votorum, Sot. lib. 7. de justit. q. 4. art. 3. col. 6. vers. De causis subinde, Valen. 2. 2. disput. 6. q. 6. punct. 7. col. penultima, dub. 2. Manuel additionibus ad bullam, §. 9. num. 105.*

3 Hinc deducitur primò, votum vitandi alicujus peccati, ut non fornicandi, non egere magna commutatione. Quia per commutationem non aufertur obligatio præcepti, nec nova voti obligatio; cum hæc in materiam subrogatam transeat; sed tantùm fit, ne illa voti obligatio cadat in eamdem præcepti materiam. Quare æqualitas materiæ subrogatæ est quo ad hoc solùm spectanda, ut recompenset obsequium divinum, redundans ex eo, ut vinculum voti cadat in priorem præcepti materiam; atque ita sit æquale, aut majus Dei obsequium, id cadere in novam materiam, cum antiqua solius præcepti obligatione, quàm superaddi illi præcepto. Et ideò attendendum est, quantum obligatio voti superaddita illi præcepto arceat voventem ab illius præcepti transgressione. Qui solet esse horum votorum finis. Si enim valde arcet, cum illo secluso soleret vovens in id peccatum incidere, est magni obsequii divini, & ideò indigeret commutatione gravi similiter arcente; qualem reputarem perpetuam confessionem menstruam. Si autem illi fini nil conduceret, imò solis multiplicandis peccatis ex pœnitentis fragilitate, transferendo simplicem fornicationem in sacrilegam, contentus essem recitatione calculorum virgineorum semel quolibet mense per triennium.

4 Secundò deducitur, in commutatione voti, & juramenti ejusdem materiæ, neutrius vinculi esse in commutatione rationem habendam, sed solius materiæ promissæ, & ideò non opus esse majori materia subrogata. Quia vel utrumque vinculum cadit in materiam subrogatam; vel ablato per commutationem uno, cessat altero. Juxta dicta *c. praced. n. 12. & 13.*

5 Tertiò deducitur, quando ultra votum, aut juramentum rei alicujus, adesset aliud non petendæ commutationis, attendendum esse in materiæ subrogatæ æqualitate; duplex votum, aut juramentum: aut unum votum, & alterum juramentum commutari, nempe, alterum rei principaliter promissæ, alterum autem non petendæ commutationis; & ideò materia subrogata debet esse æqualis utrique nexui, nec sufficeret æqualitas cum prioris voti materia. Et hoc est, quod voluit dicere *Manuel in bulla cruciata, §. 9. num. 112.* ubi ait tunc non sat esse commutare votum in rem æqualem, sed in meliorem commutandum.

6 Secunda regula sit. Esse majus, aut minus, aut æquale bonum materiæ promissæ, & ejus, in quam commutatio fit, non spectandum esse juxta excellentiam virtutis, cujus est actus, ita ut semper censeatur commutatio in melius facta, quando commutatur in opus excellentioris virtutis. Ut si commutetur jejunium, quod est actus abstinentiæ in orationem, quæ est religionis, quam constat esse abstinentia excellentiorem, non semper erit commutatio in majus, nec in bonum æquale. Sed habenda est ratio voventis. Quia cum vota tendant in Dei obsequium a vovente exhibendum, nec semper sit Deo gratius, voventem facere, quod per se est excellentius, sed quod pro tempore, & loco, & voventis dispositione, magis congruit ejus saluti spirituali; ideò non semper reputatur melius, aut æquale, quod suapte natura est tale, sed quod hic, & nunc est gratius, aut æquè gratum a vovente præstari. Quod non obscurè significat textus, *cap. 1. de voto*, quatenus ait ad dijudicandam meliorem materiæ promissæ compensationem, ponderandas circumstantias personæ, loci, ac temporis. Cuius rationem reddit optimè *Suarez tomo 2. de relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 18. nu. 8. ad finem*, quia non satis est opus in specie, & secundùm se esse melius, sed oportet in individuo rem expendere, ob rationem traditam. Quare in commutandis votis, sunt maximè spectanda spiritualis voventis utilitas, & finis voto intentus. Ut si quis ad domandas carnis illecebras, vovit jejunium, aut ad auferendam avaritiam, vovit eleemosynam, non rectè fiet commutatio in opera alia ex se excellentiora, quæ ei fini assequendo non ita apta sint. Atque ita docent *Palacios 4. d. 38. disp. 3. col. 26. fol. 875. & col. 28. paulò ante*

versiculum, Memineris porro, fol. 876. *Azor. tomo* 1. *instit. moral. lib.* 11. *c.* 18. *q.* 1. & 13. *Leonard. lib.* 2. *de just. c.* 40. *dub.* 11. *n.* 87. *Sayro in clavi regia, lib.* 6. *c.* 12. *n.* 5. & 6. *Suar. eod. lib.* 6. *c.* 19. *n.* 21. Quod etiam non obscurè significat *Sotus lib.* 7. *de just. q.* 3. *art.* 3. *col.* 8. *vers. Ex istis consequitur*, ubi dicit ad commutationem in melius factam, non exigi causam executioni voti obstantem, sed satis esse materiam subrogatam magis ad finem conducere. Ecce qualiter rem meliorem perpendit in ordine ad voti finem. Hoc ipsum etiam sentire videtur *Supplementum Gabrielis* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 5. *ubi de voti redemptione, & commutatione, in lit. I. ad finem*, ubi ait melius, aut æquè bonum, non attendendum secundùm proportionem rei ad rem, sed quòd sit melius pro tunc, sive personæ voventi, sive reipublicæ, ut exigit charitas majoris boni voventis, aut publici.

7 Nec tamen hoc ita pressim intelligo, ut opus sit imponere similia opera, quæ proximiùs ad eum voti finem ordinentur. Ut si fuit opus pœnitentiæ ad domandam carnem, sit necesse alia opera pœnitentiæ injungere. Quippe poterunt alia opera imponi, quæ licèt non ita proximè ad eum finem ordinentur, alia ratione magis ad eum finem conducunt. Ut sunt frequentia sacramentorum, oratio mentalis, &c.

8 Imò, existimo tutiorem cæteris commutationem esse in sacramentorum frequentiam, si eam facilè pœnitens acceptet, speretur que fore, ut impleat. Quòd per hæc, faciliùs, & citiùs, perveniatur ad rei promissæ æqualitatem, cum per hæc communicentur maximè merita Christi, remittantur peccata, augeatur gratia, deservianture summopere emendandæ vitæ, & peccatis cavendis, & viribus spiritualibus augendis ad legem Dei observandam. Insuper erit sanum consilium commutare in aliquot sacra facienda. Quia cum per illa valde augeatur cultus divinus, sintque magni valoris, adæquabunt magnam rei promissæ quantitatem.

9 Tertia regula sit. Habenda est ratio finis, ad quem res promissa ordinatur. Quippe dignitas materiæ promissæ augetur ex digniori fine, & ita majori commutatione indigebit. Ut si quis vovit non ludere gratia vitandi blasphemias, & perjuria, majori commutatione opus habet, quàm si finis solus esset, vitare prodigam pecuniæ jacturam. Quare examinandus est voventis finis, tum ad considerandam majorem materiæ promissæ dignitatem tum etiam ad perpendendum, an materia subrogata conducat magis illi fini assequendo. Ut si quis ad assequendam castitatem promisit peregrinari, magis ad illam conducent jejunium, & oratio.

10 Quarta regula sit. Habenda quoque est ratio difficultatis implendi rem promissam, ac materiam subrogatam. Quia difficultas auget meritum. Quare optimè tradunt *Hostiens. summa, tit. de voto, §. Qualiter, & cujus, n.* 12. *versic. Sed in redemptione, Angelus verbo Votum* 4. *n.* 12. *lex regia* 6. *in fine, tit.* 8. *p.* 1. & *ibi Greg. Lop. in fine, Navar. summ. Lat. & Hisp. c.* 12. *nu.* 77. *in fine, Lud. Lop.* 1. *p. inst. conf. c.* 49. *col. penult. versic. Episcopus votum, Suarez* dicens esse omnium, *tomo* 2. *de relig. tract. de voto, lib.* 6. *c.* 19. *nu.* 16. tradunt votum jejunii a paupere emissum, si in eleemosynam commutetur, posse in minorem commutari, quàm si dives illud emisisset. Cujus reddit optimam rationem *Palac.* 4. *dist.* 38. *disp.* 3. *col.* 28. *paulò ante versiculum, Memineris porro, fol.* 876. Quòd plutis Deus faciat paucas pauperis pecunias, juxta ejus indigentiam, quàm multas divitis. Atque ita Christus Servator noster *Luce* 21. prætulit duo æra minuta pauperis viduæ, aliis pinguius offerentibus. Quòd attenta ejus pauperie, plus pinguioribus aliorum donis fuerint. Atque eadem ratione dicendum est, pauciora jejunia posse in ejusdem voti commutatione imponi laborantibus, cholericis, & debilibus, quàm otiosis, phlegmaticis, robustis. Quia pauciora in illis æquivalent pluribus horum ratione majoris difficultatis, & laboris in illis perferendis.

11 Hinc deducitur, in voti peregrinandi commutatione esse consideranda laborem itineris, & expensas. Quia etsi expensæ illæ non sint necessariò pecuniis redimendæ; at quia augent pondus, & æstimationem voti, utpote quæ per id votum Deo dicatæ sunt, ideò earum est habenda ratio, ad materiæ subrogatæ æcualitatem. Id etiam constat ex *c. Magna, de voto*, ubi harum expensarum, & laboris itineris, dicit Pontifex rationem habendam in cujusdam voti Hierosolymitani commutatione. Et ita docent, *Hostiensis summa, tit. de voto, §. Qualiter, & cujus, n.* 12. *versic. In voto etiam, Henricus c.* 1. *n.* 3. *de voto, Palud.* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 3. *concl.* 1. *n.* 31. *Abulensis c.* 30. *Num. q.* 105. *Rosella verbo Votum* 5. *n.* 6. *Angelus verbo Votum* 4. *n.* 12. *Cajetanus summa, verbo Votum* 2. *ult. versic. Rationabilis autem, & ibi Armilla nu.* 14. *Navarr. summa c.* 12. *Lat. & Hisp. n.* 77. *in fine, Graffis* 1. *p. decisionum lib.* 2. *c.* 30. *n.* 10. *Anglei floribus* 2. *p. q. unic. de voto, art.* 8. *diffic.* 6. *proposit.* 2. *Enrig. lib.* 7. *de indulg. c.* 30. *n.* 5. *Petrus de Ledesma* 2. *tomo summ. tract.* 10. *c.* 8. *ad finem, in versic. penult. Sayro in clavi regia, lib.* 6. *c.* 12. *n.* 20. *versic. Item considerandà, Azor. tomo* 1. *inst. mor. lib.* 11. *c.* 18. *q.* 13. *Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *dub.* 1. *in coroll.* 2. *quod infert ex tertio dicto, Manuel in Bulla Cruciata, §.* 9. *n.* 107. & *tomo* 2. *summ. c.* 100. *n.* 5. *doc.* 5. *Lud. Lop.* 1. *p. instruct. conf. c.* 49. *col. penult. versic. Atque secundum; & col. antepenult. versic. Prælatus, Suar. tomo* 2. *de relig. tract. de voto, lib.* 6. *c.* 19. *n.* 19. *in fine.*

12 Sunt autem hinc deducendæ expensæ, quas domi vovens erat facturus. Quia cum illæ essent cessante ea peregrinatione faciendæ, non sunt Deo dicatæ per votum. Et ita docent, *Navarr. Lud. Lop. ea col. antepenult. versic. Prælatus, Angles, Sayro, Graffis, Petrus de Ledesma, Suarez* allegati *n. præced.*

13 Sed dubium est, an computandæ sint hæ expensæ, quas juxta sui status decentiam, & divitias, facturus esset vovens. Quidam negant; eò quòd hæ per accidens se habeant ad votum; & eundo absque comitatu aliquo, illi voto satisfiat. Et ita docet *Enriquez* allegatus *n.* 11. Idem clarè sentiunt *Aragon. & Sayro ibidem* relati, dicunt enim disiunctivè teneri hunc ad expensas, quas solus, au tcum uno, aut altero socio esset facturus. Et *Petrus de Ledesma ibidem* citatus, ait teneri virum nobilissimum ad expensas cum duobus famulis faciendas. Et *Manuel tomo* 2. *summ. c.* 100. *n.* 5. *doc.* 5. ait teneri hunc ad unius famuli expensas. At constat majori sumptu indigere statum illius.

14 Sed verius est, has expensas commutandas juxta statum voventis; & moralem ipsius consuetudinem in simili itinere, quod non causa ostentationis aggreditur. Quia quamvis in rigore non promiserit hoc, sed tantùm ire, atque ita voto satisfaceret, si solus peregrinaretur; at res æstimandæ sunt moraliter, & prout in re ipsa futuræ sunt. Qua ratione *nu.* 16. dicemus idem de computandis reditus expensis, quamvis vovens non teneatur redire, nec id voverit. Præterea, quia alias dicendum esset, nullas expensas computandas, quia satisfaceret voto, si pedester, & mendicans, illud exequeretur. Et ita docet *Suarez eo c.* 19. *n.* 20. *in fine*, dicens esse omnium, & oppositum esse contra rationem.

15 Rursus est difficultas, an computandæ sint expensæ eundi, & redeundi. Quidam solas cundi computandas sentiunt. Quòd reditus non sit promissus, ac proinde plenè voto satisfiat non redeundo. Sic *Angl. floriб. 2. p. q. unic. de voto, artic.* 8. *diffic.* 6. *proposit.* 3. *Enrig. Manuel utroque loco, Graffis*, ubi eos retuli *n.* 11.

16 At dicendum est, computandas quoque expensas reditus. Quia etsi hic redire non voverit; at cum votum intelligatur morali modo, & pro ut res se habitura sit, clauditur tacitè hujusmodi reditus in voto, ac ejus meritum, & æstimationem auget, estque illi accessorius, & opus religionis Deo dicatum eo voto consummans. Et confirmatur, quia se obligans ad eundum aliquo, computat etiam reditus expensas ad justam itineris mercedem, quantumvis redire non teneatur, reditusque sit inutilis mittenti. Tandem, quia *c. Magna de voto*, expressè utriusque expensæ computantur in commutatione voti Hierololymitanæ peregrinationis, ibi: *Expensas quas fuerás eundo, morando & redeundo, facturus*. Nec dici potest id esse speciale in eo voto. Pontifex enim non intendit imponere onus, quod in voto inclusum non esset. Atque ita docent, *Hostiens. Henricus, Palud. Rosella, Angel. Lud. Lop. ea col. penult. versic. Atque secundum, Sayro*, ubi *n.* 11. eos retuli, *Manuel* mutans sententiam *additionibus ad Bullam Cruciatam, §. 9. n.* 108. *lex regia* 5. *tit.* 8. *p.* 1. *Suarez eodem c.* 19. *n.* 20.

17 Si tamen hic peregrinaretur ad locum destinatum, ac mutata voluntate nollet redire, nulla expensarum reditus commutatione egeret. Quòd reditum nequaquam voverit, & solùm ante voti executionem tenebatur eas commutare, ut accessorias voto. Ergo cum jam principale votum expleverit, ad eas non tenebitur. Et sic docet *Manuel num. praced.* relatus.

18 Sed quæres, an si quis promisit visitare imaginem, & tempore commutationis imago est propinquior, aut distantior, eò quòd ipsa, aut vovens, sint jam in loco propinquiori, aut distantiori; cujus itineris, & laboris, sit ratio in commutatione habenda? Brevi respondeo, quando jam imago est in loco propinquiori, aut ipse vovens, attendendum esse, an obliget votum ex eo loco propinquiori, an ex priori, in quo votum factum est; & juxta hoc esse judicandum ad commutationem. Ex quo autem loco tunc obliget, diximus *hoc lib.* 4. *c.* 11. Quando autem imago, aut ipse vovens sunt in loco remotiori, si est notabilis mutatio, non obligabit pro tunc votum, ratione notabilis mutationis materiæ, donec ea cesset. Juxta supra dicta de materiæ voti mutatione. Si verò non sit notabilis mutatio, credo habendam esse solùm rationem expensarum, & laboris, juxta distantiam itineris, ex quo peregrinatio est promissa. Quòd non ampliùs comprehensum sit sub voto.

19 Sunt etiam consideranda itineris pericula, & damnum ex voventis absentia rebus ejus pullulaturum. Quòd hæc omnia Deo obtulerit, & augeant meritum, ac voti æstimationem. Sic *Manuel* 2. *tomo summ. c.* 100. *n.* 5. *doc.* 5. Et subinde est idem dicendum de tributis, quæ soluturus esset infidelibus, ut transitum ad exequendum peregrinationis Hierosolymitanæ votum concedant. Quia hæc omnia ad expensas spectant.

20 Similiter computandæ sunt expensæ in commorando in loco peregrinationis promissæ. Ut si vovens promisit se novem diebus, aut certo alio tempore ibi commoraturum. Quod ex se constat; & habetur *c. Magna de voto*. Et tradunt *Hostiensis, Henricus, Rosella*, relati *n.* 11. *lex regia* 5. *tit.* 8. *p.* 1.

21 Non oportet tamen eleemosynam, in quam illæ expensæ fortè commutantur, mitti in favorem illius loci pii, in quem peregrinatio promissa est. Quòd nulla ratio ad id cogat, sed sola majoris spiritualis boni voventis, majorisque divini cultus, aut saltem æqualis, in commutatione, ratio habea-

habeatur. Et ita docent *Host. Henr. Angelus, Abulensis*, ubi eos *num.* 11. retuli.

22 Quare ob eamdem rationem non est necessarium, ut ratio habeatur personæ, vel loci, in cujus favorem eleemosyna voto promissa cedebat, ut in ejus favorem debeat quoque cedere commutatio; quamvis rationi consentaneum sit, ut eorum ratio habeatur, in quantum fieri possit. Quia sic servatur magis materia, & intentio prioris voti. Et ita docet *Suarez tomo* 2. *de relig. tract. de voto, lib.* 6. *c.* 17. *num.* 19. *in initio*.

23 Quòd si peregrinationem mendicando quis promiserit nullæ expensæ sunt attendendæ in commutatione. Quippe nullis voventis propriis erat peragenda. At habenda est ratio majoris illius laboris peregrinationis pedestris, & emendicando, & majoris illius obsequii divini, exercendo actus paupertatis, & humilitatis.

24 Quinta regula sit. Non est opus ad rectam commutationem, ut votum personale commutetur in aliud personale, & reale in aliud reale, sed potest reale in personale, & è contra personale in reale, optimè commutari. Constat ex *c.* 2. *de voto*, ubi votum personale peregrinationis Hierosolymitanæ commutatur in eleemosynam, quæ quid reale est. Et ratio est, quia cum solius majoris obsequii divini, aut æqualis, sit in his commutationibus ratio habenda, & possit hæc æqualitas in utraque materia reperiri, non est opus servare in hac commutatione unitatem, aut similitudinem physicam inter utramque materiam, sed proportionem, aut æstimationem moralem, in ordine ad gloriam Dei. Et hujus sententiæ est *Angelus verbo Votum* 4. *nu.* 10. ubi reprehendit *Abbatem c.* 1. *num.* 3. *de voto, & Rosellam verbo Votum* 5. *nu.* 6. dicentes votum esse necessario commutandum in similem materiam. Et *Sylvester verbo Votum* 4. *in fine*, ubi eos Auctores ab hac impugnatione defendit, dicens nomine similis materiæ eos intelligere bonum æquale. Et ita uterque clarè sentit non esse opus servare similitudinem materiæ, ita ut personalis commutetur in personalem, & realis in realem. Idem supponunt Auctores *nu.* 10. relati, dum tradunt votum jejunii pauperis posse in minorem eleemosynam commutari, quàm idem votum divitis; sic enim admittunt posse votum personale commutari in reale; & eadem est ratio de commutando reali in personale. Et in propriis terminis tradit *Suar. eodem c.* 19. *nu.* 16. Quòd si opponunt textus, *c.* 1. *de voto*, ubi significatur votum peregrinationis, quòd ex reali, & personali est mixtum, debere commutari in quid reale, quando necessitas non coegit; respondet optimè *Suar. eo c.* 19. *nu.* 17. *in initio*, id consilii esse, & non præcepti.

25 Hinc deducitur, dum DD. dicunt, ut *Angelus verbo Votum* 4. *num.* 12. *Angles floribus* 2. *p. qu. unica de voto, artic.* 8. *difficult.* 6. expensas in peregrinatione promissa consumendas commutari debere in eleemosynas, & laborem itineris in opera personalia, quod idem docent alii, & habetur *c. Magna de voto*, id non accipiendum esse, tamquam quid præcepti, sed tamquam quid consilii, & tamquam quid congruentius. Prior pars constat ex dictis *nu. prac.* Ratio tamen posterioris est. Quia inter similia versatur propria æqualitas, & inter ea facilè invenitur, & acceditur magis priori voti materiæ, & fini. Et quando prius votum fuit reale, cedebat in tertii commodum, cui etiam prospici potest facta commutatione in aliquid reale. Et ita docet *Suarez eo c.* 19. *num.* 15. & 16.

26 Quamvis autem votum peregrinationis Hierosolymitanæ, & maximè, quando in ejus loci subsidium est factum, soliti sint Pontifices commutare in eleemosynam in ejus loci subsidium mittendam; ut constat ex *c. Magna, c. Quod super his, & c. Ex multa, de voto*, & sic videatur ex juris prescripto facienda, quamvis ex natura rei id non esset necessarium; id tamen olim procedebat, quando urgebat necessitas succurrendi expeditioni bellicæ in illius terræ subsidium; quæ cum hodie prorsus cessarit, non est necessaria ea hujus voti commutatio, sed instar aliorum fieri potest. Et ita docet *Suarez eo c.* 19. *num.* 17.

27 Sexta regula sit. Non est necessarium ad voti commutationem, ut materia subrogata sit æqualis priori promissæ, magnitudine, duratione, aut numero, dummodo sit æqualis obsequii divini. Quia diuturnitas, aut major quantitas, majorve numerus prioris operis, poterit qualitate, & gravitate operis subrogati, minori tempore exequendi, aut minori magnitudine, & numero, compensari. Qua ratione optimè *Leonard. l.* 2. *de just. c.* 40. *dub.* 12. *nu.* 101. & *Suar. eod. c.* 19. *num.* 21. tradunt non esse opus commutari votum perpetuum in materiam perpetuam, sed posse in temporalem æqualis obsequii divini.

28 Atque ob eamdem rationem votum implendum certa die, non est necessarium commutari in opus aliud eadem die exequendum. Quia potest esse majoris, aut æqualis obsequii divini, exequi materiam subrogatam altera die. Et ita docet *Enriquez l.* 7. *de indulgent. c.* 10. *nu.* 6.

29 Sed quando confessor votum certa die obligans commutavit absolutè, materia subrogata, nisi de ejus qualitate, & adjunctis circumstantiis, aliud colligatur, obligat eadem die. Quia duplex commutatio, aut una virtute continens duas, concurrere debet, ut materia subrogata non obliget eadem die; est enim duplex relaxatio in hac commutatione, alteta, ne impleatur votum in propria materia, altera autem, ne impleatur tempore promisso. Ergo dum commutans non explicat se utrumque commutare, aut ex materia subrogata, & aliis circumstantiis hæc intentio non colligitur, censenda est sola relaxatio, ut votum non impleatur in eadem materia; relinqueturque pristina temporis obligatio. Quia duo specialia in eodem actu non concurrunt *l.* 1. *C. de dotis promissione*, nisi quando unum pendet ab altero, & ita necessariam habent connexionem. Ut benè *Bart. l. Si is qui pro emptore, in principio, nu.* 72. *ff. de usucap.* Quod hic non contingit, potest enim optimè relaxari obligatio ejusdem materiæ, manente illæsa ejusdem temporis obligatione. Qua ratione censeo etiam, quando duratio materiæ subrogatæ suadet totam commutationem non implendam esse eadem die, ut si pluries sint recitandi calculi virginci, obligari voventem ab illa die, qua votum obligabat, ita ut ampliùs executionem differre nequeat, nisi aliud in commutatione explicetur. Quia militat eadem ratio.

30 Septima regula sit circa commutationem votorum conditionalium, & pœnalium. Et ut à conditionalibus incipiamus, *Suarez tomo* 2. *de relig. tract. de voto, l.* 6. *c.* 19. *nu.* 21. *in initio*, breviter hanc regulam tradit. Si votum est conditionale, potest commutari servata conditione, idest, sustinendo aliam materiam sub eadem conditione, vel mutata conditione cum eadem pœna, vel materia, vel denique commutari potest in materiam absolutam; & tunc ait posse censeri æqualitatem, etiamsi quantitas rei promissæ minuatur. Ut si quis promittat dare decem in eleemosynam si navis venerit, & tunc velit absolutè dare quinque, potest moraliter censeri æqualitas pensatis aliis circumstantiis. Hæc ibi. Sed clariùs, & extensiùs hoc declarando, sic distinguendum est. Si nondum impleta conditione commutetur votum conditionale in obligationem absolutam, spectandum est, quàm dubius sit conditionis eventus; quo enim magis dubius fuerit, eò in minorem obligationem absolutam id votum est commutandum. Sicut in contractu assecurationis, eò magis augetur ejus pretium, quò magis dubius fuerit eventus. Cum ergo admittens hanc commutationem absolutam, contractum assecurationis cum Deo incat, reddens obligationem dubiam Deo factam, ac ex ancipiti eventu pendentem, securam, & certam; quò magis dubius eventus conditionis fuerit, eò auctius pretium recipere debet à Deo. Deus autem id quasi in pretium dat, ut remittat obligationem conditionalem; atque ideò eò minoris absoluta remittere debet, quò magis dubia fuerit conditionalis. Verbi gratia, promisi religionem, si pater meus incolumis evaserit, debet hoc votum, antequam pater incolumis evadat, in plus, aut minus commutari juxta majus, aut minus paterni morbi periculum. Atque si illud sit æquè utrimque anceps, sufficiet in dimidium commutatio, quàm si esset absolutum. Et in hoc eventu est bonum arbitrium, quod proximè ex *Suarez* retuli; & si magis minetur mortem, minor adhuc debet esse commutatio, si autem magis promittat salutem, debet esse major.

31 Secundò dico, si ante impletam conditionem commutatio fiat in aliam obligationem conditionalem, tunc si maneat eadem conditio, aut apponatur alia æquè dubia, debere esse commutationem in materiam priori æqualem. Quòd nulla materiæ sub conditione promissæ securitas præstetur, in materia per commutationem subrogata, sed simili dubio eventui utraque obligatio subjiciatur. Si autem in commutatione apponatur conditio magis certa, debet minui materia subrogata, & è contra debet augeri, si conditio apposita sit magis dubia. juxta majoris, aut minoris incertitudinis proportionem.

32 Tertiò dico, si post impletam conditionem fiat commutatio, eam debere fieri in rem æqualem materiæ promissæ, perinde ac si votum esset absolutum. Quòd impleta conditione sit jam absoluta obligatio, & intrinseca materiæ promissæ bonitas, v. g. peregrinationis, non minor sit, quàm si esset absolutè promissa. Et quamvis ea obligatio absoluta procedat à voto minùs perfecto, hæc imperfectio efficit, ut minorem causam exigat ejus dispensatio, non autem ut minorem commutationem. Sic faciliùs, & ex minori causa dispensatur in voto temerè, ac subito iræ motu facto, ratione imperfectionis voluntatis; at mera commutatio non ideò in minus fieri. Quòd dispensatio vinculum voti præcipuè respiciat, commutatio verò præcipuè materiam.

33 Ex quo deducitur, idem prorsus dicendum esse de voto pœnali, quando post impletam conditionem, & subinde incursa pœna, est commutandum; debet enim esse æqualis materia subrogata, perinde ac si votum esset absolutum illius rei sub pœna positæ. Quod probat ratio *n. prac.* allata.

34 Quando autem ante impletam conditionem, & ita nondum pœna incursa, commutatur, dubium est, an spectanda sit dignitas solius materiæ promissæ, an etiam pœnæ impositæ. Ut si quis voueat se non lusurum sub pœna religionis, an spectandus sit solus ludus in commutatione facta ante impletam conditionem, nulla religionis in pœnam promissæ habita ratione. Neotericis quibusdam videtur solam materiam principaliter promissam spectandam esse. Ducuntur, quòd ea pœna sit accessoria adeo, ut sublata rei principalis obligatione per dispensationem, cesset obligatio ad deinceps incurrendam.

35 At hoc mihi non persuadeo. Quia aut hoc votum est solius

solius pœnæ, ut *si lusero, voveo religionem*: aut est utriusque, ut *voveo me lusurum sub religionis pœna*. In priori casu votum est solius pœnæ, & in posteriori est utriusque: ergo in utroque casu est ratio habenda pœnæ, utpote quæ in utroque casu cadit sub voto. Præterea, quia etsi obligatio ad pœnam sit accessoria rei principaliter vitandæ per voventem, & hac sublata cesset obligatio ad pœnam deinceps incurrendam; at augetur obsequium divinum eò quòd in eo eventu sit obligatio illius pœnæ, verbi gratia, religionis. Insuper augetur obsequium divinum ex eo, quòd ita arctè teneatur ille ab eo vitio se abstinere, ut non abstinens incurrat hanc pœnam. Sicut ad obsequium divinum pertinet augere voto obligationem juris divini vitandæ fornicationis. Tandem, quia pœna apposita adeò auget dignitatem voti, ut non modicum dubium sit, an reddat votum reservatum quando pœna est ex reservatis. Id tamen libenter fateor, multò minori commutatione hæc vota tunc contenta esse, quo ad pœnam illam incurrendam, eò quòd illius incursus pendeat à futuro voluntario ipsius voventis eventu, & à materiæ principalis transgressione, aut obligationis illius cessatione.

36 Id tamen monuerim, si votum fuerit sub tali pœna toties incurrenda, quoties tale delictum admissum fuerit, & sola pœna jam incursa commutetur, admonendus est pœnitens iterum se ad illam pœnam teneri, si id delictum perpetret. Quippe cum sola pœna contracta commutetur, manet eadem voti vis quo ad pœnas in posterum incurrendas. Quare ut liber quoque evadat ab ea in posterum incurrenda, oportet commutari votum rei principalis, aut saltem quo ad pœnam incurrendam.

37 Octava regula sit. Quando non commutatur ipsum votum principale, sed sola voti explenda dilatio commutatione conceditur, potest modica commutatione suppleri, quando non multùm conducit obsequio divino impleri illa die destinata, aut in aliam differri: & quò major est dilatio, eò major debet esse commutatio. Si autem valde obsequio divino conduceret non differri multò major deberet esse commutatio. Sicut contingit in voto religionis, aut ordinis sacri assumendi, differendo ultra suæ obligationis tempus, impediuntur enim multa obsequia divina quæ status ille secum affert.

38 Ultima regula sit. Maximè spectanda est voventis fragilitas, curandumque ne nimis gravetur, ita ut maneat periculo transigendæ materiæ subrogatæ expositus. Atque ideò proderit commutare in res, quas ipse solius est facere, ut si solet quotidie recitare calculos Virgineos, aut sacro interesse, aut aliquibus diebus jejunare, optimum erit in hæc opera commutare, aut in confessiones aliquas, quas frequentare soleat; sic enim faciliùs, & suaviùs exequetur. Item proderit relinquere libertatem, ne teneatur die assignata exequi, sed ut possit in alteram diem transferre. Item ut imponantur diversa opera, relicta optione illi. Verbi gratia, ut sexta feria jejunet, vel ut certam eleemosynam largiatur, vel ut sacro interfit, &c. Non tamen potest fieri commutatio in opera alio præcepto debita. Ut optimè docet *Leonardus libro secundo de justitia, c. 40. dubio 11. num.87.* Quia sicut voto non satisfit per ea opera, ita nec commutationi.

39 Restat ponere exempla aliquarum commutationum factarum à jure, & à viris doctis, ut inde norma aliqua commutandi vota capiatur. Sicut *c. Venientis, de voto*, commutatur votum Hierosolymitanum cujusdam pueri, cum quo dispensandi aderat justa causa, ut id votum eleemosynis redimeret, & toto vitæ periculo uni pauperi provideret. Et *c. Magna, eodem titulo*, commutatur simile votum cujusdam Episcopi, ut expensas eundi, & redeundi, & commorandi ibi, integrè mittat, & laborem itineris compenset sollicitiùs instando vigiliis, devotiùs vacando orationibus; & fortiùs se exercendo jejuniis.

40 Labor peregrinationis promissæ commutatur sic à viris doctis. Si peregrinatio pedestris sit, ultra expensas labor unius diei commutetur in unius diei jejunium, & duorum dierum in duo jejunia, & sic deinceps. Si non sit pedestris, ut labor quatuor dierum in unius diei jejunium commutetur. Ita docent *Sayro in clavi regia, libro 6. c. 12. nu.20. versic. Item considerandæ, Azor. tomo 1. institutionum moralium, libro 11. c. 18. qu. 13.* qui adhuc ampliùs loquitur, ait enim laborem quatuor, vel quinque dierum, posse in unicum jejunium commutari. Et ita intelligendus est *Angles floribus 2. p. quæst. unica de voto, articulo 8. diffic. 6. propositione 2.* ubi absolutè ait pro labore peregrinationis quatuor dierum, imponendum unicum jejunium; intelligendus inquam est, quando peregrinatio est equestris; nam ubi ea pedestris esset, est modica commutatio. Qualiter autem sint expensæ commutandæ, diximus à *nu.11.*

41 *Metina libro 1. summ. c. 14. §. 7. in tract. de commutatione regula 3.* ait potientem facultate voti religionis Dominicanæ commutandi, attendere debere assumpto eo habitu recitandum esse illi quotidie officium canonicum, jejunandum septem mensibus cujuslibet anni, abstinendum perpetuò à carnibus. Quare concludit id votum commutandum esse, ut ille jejunet tota vita feriis sextis, fateatur, & Eucharistiam sumat decimo quinto quoque die & eroget eleemosynam juxta suam facultatem, & quotidie recitet psalmos pœnitentiæ. Idem docet *Sayro in clavi regia l. 6. c. 12. num.21.* quamvis latiùs loquatur, confessionem enim singulis mensibus injungit, nec communionis meminit. Sed existimo commutationem hanc nullo modo esse æqualem, nec novi qualiter vota religionis, & castitatis absoluta commutari in rem æqualem possint. Atque ita *Sotus l. 7. de justitia, q. 4. art. 3. col. 4. vers. At verò*, ait simplex castitatis votum non posse pura commutatione tolli. Quòd nil illa melius sit, juxta illud *Proverb. 16. Omnis ponderatio non est digna animæ continentis.* Et *Aragon. 2. 2. qu. 88. art. 12. dub. 1. in corollario 1. quod infert ex dict. 4.* ait neutrum votum posse pure commutatione tolli. Quare admiscenda est aliqua dispensatio à potente dispensare. Tunc autem poterunt commutatione pura tolli, quando sunt pœnalia, aut conditionalia, nec impleta est conditio. Juxta regulam traditam de his votis *nu.3. & sequentibus.*

42 Præterea votum non ineundi matrimonii commutari potest in confessionem mensibus singulis biennio faciendam, aut triennio, & in novem sacra. Ita arbitrati sunt quidam Neoterici docti.

43 Similiter iidem arbitrati sunt, votum sacerdotii assumendi, attenta sacerdotis obligatione ad castitatem solemniter promissam, & ad pensum divini officii quotidie persolvendum, & sæpè eum sacra facturum, commutari posse in quotidianam psalmorum pœnitentiæ cum litaniis recitationem, vel officii beatæ Virginis, vel calculorum virgineorum, & in confessionem, & communionem, quinto decimo quoque die facienda, & in faciendum celebrari sacrum singulis mensibus, & ut voveat ille castitatem in statu sæculari. Quòd si nolit ille castitatem servare, sed ad nuptias transire, censerem addendum jejunium omnibus sextis feriis. Atque in votis ita gravibus, melius est partim misere dispensationem, obtenta dispensandi facultate, & existente justa partim dispensandi causa. Quippe hac partiali dispensatione secluſa, non auderem prædictam commutationem judicare æqualem.

44 Tandem votum jejunandi omnibus sextis feriis, arbitrati sunt idem viri docti, posse commutari in confessionem, & commutationem anno integro, decimoquinto quoque die, & in tria sacra facienda; aut in recitationem calculorum virgineorum, & eleemosynam modicam sextis feriis perpetuò faciendam. Sed attendendum est in hac commutatione, an materia subrogata deserviat ita fini intento per illa jejunia. Juxta regulam *num. 6.* traditam. Et adhuc prior commutatio non mihi videtur æqualis, nisi ea triennio duraret, aut adderetur recitatio quotidiana eo anno calculorum virgineorum.

F I N I S.

IN-

INDEX LOCORUM,

Qui ex jure Pontificio, Concilio Tridentino, Motibus propriis, & jure Cæsareo in hoc opere notabiliùs explicantur.

Ex Decretalibus.

Cap. Juvenis de sponsalibus, lib. c. 10. nu. 15.
Cap. 1. si culpa, de Injuriis, lib. 1. cap. 16. nu. 24.
Cap. 1. De hæreticis, libro 2. c. 17. nu. 12.
Cap. Excommunicamus el 1. eodem titulo libro 2. toto c. 24.
Cap. fin. De hæreticis, lib. 2. toto c. 25.
Cap. 1. De cleric. pugnan. lib. 2. c. 39. num. 18.
Cap. fin. de sortilegiis, lib. 2. c. 38. à num. 71. ad 84.
Cap. 1. & fin. de reliquiis, lib. 2. cap. 43. à num. 3. usque ad 19. 21. & 22.
Cap. fin. De feriis, lib. 2. c. 43. nu. 9.
Cap. Cum quidam, de jurejurand. lib. 3. c. 9. nu. 13.
Cap. Debitores, eod. tit. lib. 3. c. 11. à numer. 2. usque ad num. 12.
Cap. Venerabilem, de electione, lib. 3. c. 9. nu. 13.
Cap. Si verò, & c. Verum, de jurejurand. l. 3. c. 11. à n. 13. usque ad 36.
Cap. Cum infirmitas, de pœnitentiis, lib. 3. c. 16. à num. 2. usque in finem.
Cap. Ad nostram el 1. de jurejur. lib. 3. c. 17. nu. 15.
Cap. 2. De jurejuran. lib. 3. c. 11. nu. 37.
Cap. penult. eod. tit. lib. 3. c. 17. à nu. 20. ad 24.
Cap. Consulti, de regularib. lib. 4. c. 1. nu. 20.
Cap. Quid super his de voto, lib. 4. c. 2. nu. 25.
Cap. Magnæ, eod. tit. lib. 4. c. 2. nu. 43.
Cap. 1. de his quæ vi, lib. 4. c. 3. num. 12.
Cap. fin. de observ. jejun. lib. 4. c. 11. à nu. 59. ad 65.
Cap. Ex parte, de censib. lib. 4. c. 13. nu. 6.
Cap. Per tuas, penult. de regularib. lib. 4. toto c. 17.
Cap. 2. c. signatum, & c. Cum simus, eod. tit. libr. 4. toto c. 18.
Cap. Gravis, de restitutione spoliator. libro 2. c. 23. à nu. 97. usque ad nu. 116.
Cap. Ad audientiam, c. significasti el 2. de homicid. lib. 1. c. 10. à nu. 37. usque ad 50. & ibi c. penult. eod. tit.
Cap. Illud, de clerico excommunic. lib. 1. c. 10. numero 15. & 48.
Cap. Cum contingat, de jurejuran. lib. 3. toto c. 12.
Cap. Dilecto, de præb. lib. 3. c. 12. à nu. 33. usque ad 36.

Ex libro 6. Decretalium.

Cap. 2. De hæreticis, lib. 2. c. 6. à nu. 3. usque in finem, & toto c. 20. & toto c. 25.
Cap. Eos qui, de sententia excommun. lib. 2. c. 13. à num. 24. usque ad 36.
Can. fin. de præscription. lib. 2. c. 22. à nu. 37. usque ad 42.
Cap. Ut commissi §. privandi, de hæretic. lib. 2. c. 20. num. 7. & c. 16. nu. 5. & 6. & c. 28. nu. ult.
Cap. Statutum, el 2. de hæretic. lib. 2. toto c. 27.
Cap. finale, de foro compet. lib. 3. c. 13. à nu. 2. usque ad 20. & à nu. 23. usque ad 33.
Cap. Qui post votum, penult. de regularib. lib. 4. c. 16. à nu. 16. usque ad 26.
Cap. Unicum, de voto, lib. 4. c. 24. num. 6.
Cap. Constitutionem, & c. Non solùm de regularib. lib. 4. c. 26. à num. 24. usque ad 30. & c. 27. num. 8. 9. & 10.
Cap. Primum, eod. tit. lib. 4. c. 26. num. 32. 33. 38. & 39.
Cap. Cum secundum, de hæretic. lib. 2. c. 22. & 23. per totum.
Cap. Decrevit, eod. tit. lib. 2. c. 17. à numer. 17. usque ad num. 24.
Cap. Licet Episcopus, de præbend. lib. 2. c. 26. nu. 12.
Cap. 2. §. Hæretici, de hæretic. lib. 2. c. 28. à n. 2. usque ad 14.
Regula Ignorantia, de reg. jur. lib. 1. c. 16. nu. 6. lib. 2. c. 23. à num. 162.
Regula Non est obligatorium, de reg. jur. lib. 3. cap. 9. numero 30.

Ex Clementinis.

Clement. 2. de hæreticis lib. 2. c. 20. à num. 3. usque ad 21.

Ex Decreto.

Cap. Unum orarium 25. d. lib. 1. c. 5. in fin.
Cap. Tres sunt, de pœnit. dist. 1. c. 5. nu. 3.
Cap. Sortes, & c. Si quis ariolos 26. quæst. 5. lib. 2. cap. 38. n. 90. & 91.
Cap. Saluberrimum, & c. Convenientibus 1. qu. 7. lib. 2. c. 28. à num. 6.
Cap. Constituit 17. qu. 4. lib. 2. c. 28. nu. 15.
Cap. Si virgo 34. q. 2. lib. 2. c. 23. num. 189.
Cap. Sicut satius 37. q. 4. lib. 2. c. 30. nu. 7.
Cap. Nullus c. Omnes 28. q. 1. lib. 2. toto c. 30.
Cap. Episcopi 26. q. 5. lib. 2. c. 40. nu. 6.
Cap. Final. 26. q. 7. lib. 2. c. 42. num. 10.
Cap. 1. De consecr. d. 3. lib. 2. c. 43. num. 9.
Cap. Corpora, de consecr. d. 1. lib. 2. c. 43. nu. 25.
Cap. Quisquis, vers. Si quis domum 17. q. 4. lib. 2. cap. 43. num. 24.
Cap. Movet te 22. q. 1. lib. 3. c. 4. in fine.
Cap. Parvuli, & c. Pueri 22. q. 5. lib. 3. c. 3. nu. 5. & 6.
Cap. Si quis presbyter. 2. q. 5. lib. 3. c. 3. nu. 7. 8. & 9.
Cap. Quacumque arte, & c. Humanæ aures 22. q. 6. lib. 3. c. 19. num. 5.
Cap. Addidistis 20. q. 1. lib. 4. toto c. 18.
Cap. 1. & c. Puella, 20. q. 2. lib. 4. toto c. 18.

Ex Concil. Tridentino.

Cap. 7. de penit. sacram. sess. 14. lib. 1. toto c. 13.
Decretum de observandis, & vitandis in celebratione Missæ, sess. 22. lib. 2. c. 40. num. 40.
Cap. 7. Sess. 23. de reformat. lib. 2. c. 28. num. 15.
Cap. 6. Sessione 24. de reformatione, lib. 1. c. 10. num. 49. & lib. 2. toto c. 11. & c. 14. à num. 15. usque ad 18. & c. 26. num. 18.
Cap. 12. Sessione 24. de reformatione, lib. 2. toto c. 5.
Cap. 17. Sessione 25. de regul. lib. 4. c. 18. à num. 32. usque ad 34.
Cap. 18. Sessione 25. de regular. lib. 4. toto c. 4.
Cap. 19. Sessione 25. de reformatione, libro 2. c. 39. à nu. 19.
Decretum de invocatione, & veneratione, Sess. 25. lib. 2. c. 43. à nu. 15. usque ad 19.

Ex motibus propriis.

Motus proprius Pii IV. & Pii V. de professione fidei facienda, lib. 2. c. 5. nu. 3. & 4.
Motus proprius Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. contra duella, lib. 2. c. 19. à nu. 19.
Motus proprius Pauli IV. confirmatus à Gregorius XIII. de non admittendis descendentibus ex Judæis, hæreticis, & Mauris, lib. 2. c. 27. nu. 3.
Motus proprius Pii V. concedens prælatis regularibus, quod Tridentin. sessione 26. c. 6. de reformatione concessit Episcopis, explicatur, lib. 2. c. 11. nu. 7.
Motus proprius Pii V. quo jubetur medicis ægrum monere, ut statim confiteatur, lib. 3. c. 16. à nu. 2.
Motu proprio Pii V. reservans Papæ beneficia vacantia ob hæresim, lib. 2. cap. 26. numero 6. & 12. & cap. 25. num. 12.
Motus proprii Gregorii XIII. de Agnis Dei non pingendis, nec vendendis, lib. 2. c. 43. nu. 28. & 29.
Motus proprius Sixti V. de non promovendis patientibus defectum generis, vel aliud impedimentum canonicum, lib. 2. c. 28. num. 15.

Motu